Antiq g. E. 1695/1



ARS ANATOMICA BREVITER ELUCIDATA

PER J. CASE. MD

MORS OMNIA RAPIT.

1695.

BODLEIAN LIBRARY
JUN
1926
OXFORD



Compendium ANATOMICUM

Nova Methodo institutum.

Ubi Ars ipsa capitibus & divisionibus ita illustratur, ut omnia uno quasi intuitu conspicientur, & eo firmiùs idcirco retineantur.

Imprimatur.

Nov. 15. D. Poplar.

Authore J. Case, *M. D.*

LONDINI,

Typis *J. Moxon* & *B. Beardwell*, & prostant venales per *Nathanaelem Rolls*, apud Domum quæ vulgo vocatur *Petty-Canon's-Hall*, prope Septentrionalem partem divi Pauli.

AD
LECTOREM.

AD
LECTOREM.

Lector Benevole,

Plurimos librorum moles a legendo deterrent, alios ignavia premit, nonnullique prejudicato animo laborant; quisque suos patitur manes——— Duobus vero prioribus, ut mihi visum est, in hoc meo libello obviam ivi, osque eorum prorsus obturavi, quodque ad postremos attinet hoc obiter dicam, indignos esse ut legant, qui iniquo animo legunt. Interea de Methodo quam secutus

sum, candide legenti pauca referre haud supervacaneum duco; non revera me latuit, quantum oneris in humeros meos suscepturus eram, cum primum in animum induuerim hoc opus adoriri, bene uiter enim & bene scribere maxime arduum est. Primum vero, Deo aspirante, exegi, quod ad alterum, non meum, sed tuum est, Lector, sententiam ferre. Græci olim, Humanum Corpus, Microcosmum appellabant, quasi Cæterarum Creaturarum compendium esset, non mediocris forsan occurret analogia inter hoc meum opusculum, istamque appellationem, cum jam totam

artem Anatomicam, quæ ut vulgo sumpta, nihil aliud est quam Humani Corporis partium explicatio, in angustius, quam unquam antehac, spacium contraxerim, idque, ni fallor, disposito modo, totum enim secundum naturam situmque uniuscujusque rei in totidem divisiones sive capitula distribui, ita ut quod in ingentibus aliorum voluminibus fuse continetur, uno quasi intuitu cernas, sed si cui in animum incideret mihi materiam deesse hunc tractatum amplificandi, eique molem conciliandi, respondere possem, frustra fieri per plura quæ fiunt per pauciora, at fateor me

ex consulto, abstinuisse quasi brevitati omnino studentem eoque magis cum ad memoriam adjuvandam tale opusculum magno usui futurum esse arbitrarer; praeterea non desunt Authores tam conterranei quam Peregrini satis multi, qui de rebus Anatomicis verbosiùs scripserunt, angustiùs verò unquam nemo; adhaec aeneis typis exornari, quo melius omnia pateant; utque etiam studentis visivam facultatem oculari inspectione non minus quam animum contemplatione relaxarem.

Cum vero de duabus Physicae partibus, Hygiena, scil. & Therapeutica, More In-

stitutionis, nonnihil præposui quibus tres alias Partes, i. e. Physiologiam, Pathologiam, & Semeioticam, dilucidationis causa, adjungere mihi necesse erat, cumque etiam nonnulli tale Primordium ab Anatomiâ longe alienum reputent, de qua hic præcipuè tractavi; pro certo habeant meum esse institutum de arte medendi, quoad praxin saltem, fusius posthac scribere, si modo Deus Opt. Max. mihi vivendi spacium nec non facultates clementer concesserit; si quis præterea indignè feret eo quod capitulo de Internis Venis, aliud de Externis sive Phlebotomia subjunxi, quasi res ab eadem

ante longe diversa, sciat non adeo esse diversam, quin exinde nonnihil commodi assidrè legenti exsurgat, incommodi vero nihil, sed quoad regulas de Venis secandis institutas, quisque eis pro suo lubitu, cautè tamen monerem, utatur.

Demirari porro, Lector, nolito eo quod veterum sententiis prætermissis de fæminarum semine, recentiorum opinionem, idque summa cum ratione, ni me longè fallit animus, complexus sum, semen etenim fæminis deest, istæque vesiculæ, de quibus somniabant veteres, quasi ejusdem receptacula forent,

tale

tale quidpiam non conti-
nent; sed quod sint ova ve-
rissima, avium vel aliarum
Creaturarum ovis Analoga,
Probavi tam experimentis,
quam argumentis & exem-
plis: & quoad testes (sic di-
ctas) quod non sint testes sed
Ovaria, ubi propria virtute
ova nutriuntur, præcedentibus
concessis, hæc deinceps
facile concedentur, cum ve-
ro nullius scriptoris opinio-
nem contorte retulerim, aut
livide Perstrinxerim, ati-
nam par pari mihi reponetur;
secundum etiam nuperorum
sententiam nonnihil
de Sanguinis Circulatione in-
terseruimus, nec dubito quin
Lector hoc grata mente ac-
cipiat,

ciptat, quamvis vero curtiori spacio complectitur quam vellem, & tale subjectum merito postulet: quod ad reliquum, mihi sufficit quod æquo animo totum conscripserim, & si ullo modo reipublicæ literariæ, hujusve facultatis candidatis hisce meis conatibus benefecerim, scopum feliciter attingam. Vale.

Ex Musæo meo prope Januam Londinensem quæ vulgo vocatur Ludgate, 13° die Novembris, 1694.

TABULA.

TABULA

Capita LIBRI Primi.

More institutionis pag. 1
Physiologia. 2
Hygiene. 14
Pathologia. 16
Semeiotice. 20
Therapeutice. 22
Cap. I. De Anatomia in genere 24
II. De Ossibus. 27
III. De Cartilaginibus. 32
IV. De Ligamentis. 38
V. De Membranis. 39
VI. De Fibris. 41
VII. De Venis. 42
VIII. De Venis Lacteis. 53
IX. De Arteriis. 60
X. De Nervis. 67
XI. De Musculis eiusque partibus in genere. 79
XII. De Carne. 77
XIII. De Cute. 78
XIV. De Pinguedine, Unguibus & Pilis. 79

LIB

LIB. II.

Cap. I. *Divisio corporis humani.* 83
II. *De Abdominis partibus externis.* 84
III. *De Abdominis partibus internis.* 87
IV. *De partibus Thoracis externis.* 104
V. *De partibus Thoracis internis.* 108
VI. *De Collo.* 114
VII. *De partibus Capitis externis.* 116
VIII. *De partibus Capitis internis.* 132
IX. *De Manu.* 143
X. *De Pede.* 148
XI. *De Generatione, Pulsu, & Circulatione Sanguinis.* 152

LIB. III.

Cap. I. *Vasa Spermatica in Mulieribus sunt duplicata. Vena & Arteria.*

R. ROBARTUS *Medicinæ Studiosus Novi Collegii Socius.*

Consule quid sacro medicamine possit, (& arte
Cujus Medicâ; Nam provida quicquid (ubique
In gremio Naturæ suo, Medicinaque longâ
Arte instructa tenet, quicquid veteresque novique
Noverunt Medici, tuus inserit Author & (omne
Huic chartæ exiguæ instillat docteq; libelli:
Macte tuis igitur studiis musisque beatis;
Det Deus, ut posthac, toties dum magna (Cæsar
Calce premis celeri vestigia, vimque moderamque
Ex Authore tuo monstras ægrota levandi
Corpora, tot gratos habeas æquosque Favores
Quot mox lectores Liber hic renovatus habebit.

Epigramma.

Longa olim fuit Ars & vita brevissima, (verum
Ars brevis hoc parvo, vitaque longa libro.

Sept. 24. 1694.

BIBLIOTHECA
COLEGIATA

PHysicæ partes sunt duæ. Hygiena & Therapeutica, Hygiena docet salutem conservare.

Therapeutica docet morbos sanare.

Hæc autem cum non perficiantur sine corporis & morborum scientiâ, tres aliæ partes his adduntur; Physiologia, Pathologia & Semeiotica.

Physiologia naturales corporis constitutiones ostendit.

Pathologia inspicit naturam, causam & morborum symtomata.

Semeiotica demonstrat præterita, præsentia & futura signa.

Hygiena annumerat sex non naturales res, & varios eorum usus, in ægrotantibus & sanis, senibus & juvenibus.

Therapeia docet curare morbos Diætâ, Pharmachiâ & Chirurgiâ.

In Physologiâ considerantur Elementa, Temperamenta, par-

tes, humores, spiritus, facultates, actiones, de quibus ordine pauca loquimur.

PHYSIOLOGIA.

ELementum est simplex corpus, ex quo mixtum componitur, & in quo denique resolvitur; Hæc sunt quatuor, ignis, aer, aqua, terra; quæ Hippocrates libro Naturæ humanæ nominavit, calida, frigida, humida, arida.

Ab his inter se mixtis oritur Ovidii dictum; concordia discors unius corporis, quod secundum Qualitatis mixtionem, obtinet talem, atque aliam naturam: Unde oriuntur novem differentiæ temperamentorum, octo intemperamentorum, quatuor simplicium; calidorum, frigidorum, humidorum, aridorum; quatuor compositorum, calidorum & humidorum, calidorum & aridorum,

rum, frigidorum & humidorum, frigidorum & aridorum.

Primo differentiæ temperamentorum, vel sic simpliciter, vel secundum pondus, cum qualitates sint æquales; quod potius Utopianum quam reale, vel ad minus momentaneum, vel secundum Justitiam; in qua est moderatio Elementorum congrua Naturæ humanæ, Bestiæ, Plantæ, *&c.* Hujus varii sunt limites, quos ultra citraque nequit consistere sanum. Dividitur in sanguineum, pituosum, melancholicum; atque ita Analogum Elementis humorum.

Cum omnia innatâ caliditate recreentur, & ut penetret omnes partes corporis, permanet in spiritu, cujus definitio (quicquid Argenterius dicat) hoc est.

Spiritus est Aereum, subtile & splendidum Corpus simile vapori, sedes & assertio facul-

tatum, & primum instrumentum functionum, cujus Basis est humidum radicale.

Quidam instituunt tres spiritus. 1. Vitalis missa a corde per Arterias omnibus partibus. 2. Naturalis ex qua nascitur vitalis, inspiratione aeris; de qua Galenus dubitavit quasi in vitali comprehendatur, sed spiritus alimentorum non debent denegari ad sanguinem, unde calidior est sanguis a vino, quam a lactuca.

Pars perfectè definitur a Docto Fernelio, corpus adhærens toto, ornatum communi vitâ, datum corporis functioni & usui; ita crines, ungues, pinguedo, medulla, *&c.* nec non Hippocratis humores & spiritus strictè habent nomen partium.

Humorem cum Philosophis nè intelligatis, qualitatem oppositam sicco, sed corpus; tamen non omnem humorem; nam,

nam, chyle, semen, lac, sudor, urina non sunt propriè humores, sed tantum alimenta cum suis excrementis; temerarium est denegare ista cum affectant nos in quantitate, qualitate, & generantur ex mixtione alimentorum, quatuor generaliter.

1. Naturalia continentur sub nomine sanguinis, cujus calidæ, frigidæ, densæ, tenues partes vocantur phlegma, bilis, serum, vehicula; expelluntur urinâ, sudore, lachrymis: Sanguis purus facit homines lætos, floridos, prudentes, sed si superfluus stolidos.

2. Excrementitia evitantur propriis locis, phlegma quasi nutrimentum usque ad dimidium coctum, atque ita renovatur, sed id in intestinis locis inconcoctum abluitur bile, & id quod a cerebro manat, vocatur mucus, hoc facit homines tardos, somnolentos; bilis habet locum in felle, vesica;

Ut purgat sanguinem ab aurigine, & irritet ventrem & abstergat phlegma; facit homines iratos, acutos, &c.

Melancholia, fæx sanguinis nigra locata est in splene, si non evitatur Hemorrhoidis, &c. totum corpus nigrescit; facit dolosos, mæstos, invidos, timidos, sed cum mixta sit cum sanguine aut bile, constantes & ingenuos; adjuvat concoctionem, cum sit acida, & astricta, cum acerbitate facit famem; Soranus dicit hæc habere potestatem in corpore certis temporibus; sanguis manè, bilis tempore pomeridiano, Melancholia vespere, phlegma nocte.

Sanguis naturaliter & simpliciter sic vocatur, sed malè affectus, biblius, pituosus, melancholicus, ita factus putrefactione, adustione, refrigeratione, obstructione.

Et cum abundet in qualitate vel quantitate, Præternaturalis,

turalis, cujus phlegma est quadruplex; sudor sæpe expuitur, acidum minus frigidum, quam vitrarium, plus quam sudorificum; vitrarium valde frigidum, adhærens intestinis partibus, facit tormenta, & tandem fit implastrium, unde tophi in articulis; salsuginosum a putrefactione vel mixtione seri salsuginosi.

Bilis quadruplex vitellina adusta in venis; porracea a stomacho procedens; Æruginosa, glasto incocta, aliquando fit in ventriculo, aliquando in venis.

Est tantum una Species atræ bilis, valde injuriosa, acida, fovens terram tanquam acetum, procedens ab adustione vel putrefactione aliorum excrementorum; vitellina bilis fit porracea, æruginosa, glasteosa, & tandem nigra, composita a parte densiore sanguinis, ut bilis tenuiori; non componi-

tur a phlegmate nisi salfuginoso.

Anima est forma, & causa omnium operationum, quibus noscitur, aliter ejus essentia lateret.

Galenus vocat illud temperiem a quo conservatur, intemperie fugit e corpore; sed temperies & innatus calor, sunt tantum causæ sine qua non permanet operari.

Facultas est causa undè actio prodit, vel naturalis potestas animæ per semetipsum instituta operari; unde Actio in activa motione procedit; operatio perficitur actione; sic caro, sanguinis Actio quidem est operatio, ut sanguificatio, *&c.* non e contra sicut caro est operatio, non actio Naturæ.

Facultas & actio est triplex. 1. Naturalis, etiam in plantis & brutis, vocata concupiscibilis, & variatio diffusa in quacunque parte a jecore, & habet

quatuor

quatuor subservientes partes, attractantes, retinentes, concoquentes, expellentes; quædam communes partes habent facultates, sicut stomachus, sibi & aliis; quare utuntur fibris, sed coctio perficitur calore & facultate.

2. Vitalis emittens vitam a corde. 3. Animalis, a cerebro per nervas emittit sensum & motionem.

Nunc actiones considerantur in salute & ægritudine cum illæsæ et læsæ ostendunt se; & ob prædictionem.

Actio nunquam est læsa in naturalibus organis, ubi facultates insitæ, sed pars afficitur; sed animalia organa habent principalem sensum & motionem aliundè, sic Actio destruat partem illæsam.

Naturalis facultatis actio est triplex. Nutritio, conversio alimenti in substantiam viventis ponderis, quæ facta est triplici

triplci coctione. Chylefacta quæ nutritio adjuvatur a jecore, & partibus calidis, est sedes jejunii, propter exquisitum sensum, nam jejunium est dolor concupiscendi cibum, nutritur a sanguine, non chylo, feces mixtæ chylo extruduntur & tinetæ bile; urina est excrementum hujus coctionis; chylus coctus detruditur a piloris ad intestinas partes, meseraicæ venæ sibi attrahunt quicquid servile est, & tunc vertitur ad jecur et ibi fit sanguis.

Et ita est secunda coctio & emittitur ad omnes partes corporis, sicut in Anatomia quæ eam assimulat, quæ meri nutrimentum est: ita in venis & arteriis ignotus est humor haud absimilis sanguini liquefaciens partes substantiæ, vocatur Ros, adhærens, Cambium, perfecte assimulatus gluten, & hi sunt Arabiorum humores secundarii.

Auctio,

2. Auctio, quæ est amplificans corpus in longitudine, & latitudine, & profunditate, donec acquirat plenam magnitudinem; sed Calor & Humor decrescunt, donec pondus cessset.

3. Generatio est opus naturalis facultatis propter propagationem specierum, vel motio novæ substantiæ; cum animalia non sint perpetua, quicquid non possunt efficere in individuis, obtinent in speciebus.

Nunc Generatio perfectorum animalium procedit a mixtione sanguinis masculini cum fæmineo, & consistit in alteratione, reddens substantiam & formam, & conjunctionem partium formæ.

Semina junguntur in vulvâ unde conceptio prodit, tunc plastica facultas facit tria membrana involventia fœtus, & conformat omnes partes, nam

carent alternâ ope, neque formantur primo vegetivâ animâ tunc sensitivâ denique rationali, nam organa ex his omnibus sunt. Et nunc habens locum paratum incipit nutriri, per spatium trium mensium movet, nam antea nec habet animam nec motionem; septimo mense anima est vitalis.

Vitalis facultas est media inter naturalem & animalem et est in corde; huc refertur puls & respiratio: Quarum in Anatomiâ.

Animalis virtus est motio principalis, sensus & intelligentia, quia juncta est phantasei, aliter non est facultas organica. 1. Sensitiva, externi sensus sunt visus cujus objectum est aliquid visibile, calor vel lux; Organon est oculus, Chrystalinus humor, aliæ partes tantum subjectæ.

Auditûs

Auditûs objectum est sonus. Olfactionis objectum est odor, Gustûs objectum est sapor, tactûs objectum est, primæ & secundæ qualitates, organon, membrana & nervi.

Internus sensus sive principalis facultas est triplex, phantasis, ratiocinatio, memoria: communis sensus est tanquam aliorum centrum & judex, distinguit inter calorem, sonum, & alia objecta.

Phantasis distinguit & apprehendit omnia objecta & formas productas ab externis sensibus.

Ratiocinatione meditamur in receptas species: memoria conservat res cognitas.

HYGIENA.

PRoximè res non-naturales considerari debent, ita vocantur quia non in corpore secundum naturam, sicut facultas; nec præter naturam, sicut morbi; sed inter utrumque, nam cibus parcè sumptus nutrit corpus, si non, offendit.

Sex sunt usus alimentorum. Aër consideratus in substantia, qualitate, occasione, & usu; aër purus & pellucidus si loci situs sit ad Orientem vel Boream; alti loci salubriores; calidi augent bilem & febrim, *&c.* frigidæ distillationes obtrudunt transpirationi, promovent infirmam coctionem, sed offendunt infirma corpora.

Motio comprehendit omnia exercitia; undè tres commoditates; duritia instrumentorum a mutuâ attritione; auctio insiti

siti caloris, & vehemens motio spirituum.

Actiones & salus sequuntur duritiem instrumentorum; coctio, distributio, nutrimentum, expulsio sequuntur auctionem caloris; & vehemens motio spirituum purgat renes, expellitque Excrementa.

Cibus & potus alimenta vocantur, & reficiunt corpora; non nimis dissimilia corpori esse debent, sicut Lapides, *&c.* sed animata, sicut plantæ, vel animalia, vel indè prodeuntia sicut lac, vinum, *&c.* substantiæ tantum quantum bonum succum producit.

Quantitatis tantum, quantum natura requirit, nè morbos efficiat.

Potus sitim expellit & est vehicula cibi:

Ut vites pœnam, de potibus incipe (cœnam,
Incipe cum succo, succo finire memento.

Somnus concoquit cibum & humores, & corrigit mentis morbos.

Passiones sunt turbidæ motiones animi.

PATHOLOGIA.

MOrbus est præternaturalis affectio, lædens primo actiones, quorum tria sunt genera. Similar, Organicus, & Communis.

Similar est morbus, & est æqualis in omnibus partibus & absque dolore, sicut in febre, vel inæqualis sicut Anasarara, tumores, *&c.* & est cum vel sine materia simplici vel composita sicut in Physiologia.

Organicus in mala conformatione est quadruplex; compositio, numerus, magnitudo situs.

Mor-

Morbus Communis, ad similarem & Organicum vocatur Solutio unitatis; cujus sortis sunt vulnera.

Causa est præternaturalis affectio, producens morbum; quadruplex est.

Materialis, formalis, finalis, & efficiens; sicut Solis calor producit febrim; ut ensis externa est certa causa vulneris sed non procatura quia non requirit dispositionem.

Antecedens est ipsa morbosa dispositio inventa in humidis morbis, & sæpe avertitur remediis, ut non offendat; cum actualiter lædit, vocatur conjuncta, vel continens, qua posita, ponitur morbus, sublata tollitur; est tantum in humoralibus, semper immediata non contra; sicut ensis immediata est causa procatarctica: Plethora antecedens, sanguis fluens ad latus continens.

Nunc

Nunc evidens est contingens ut ensis, *&c.* necessaria ut sex naturalia, quibus addi potest contagio, *&c.* & antecedens offendit in quantitate vel primâ vel secundâ qualitate, cui addi potest putrefactio.

Quantitas (si non in defectu sicut in febre) vocata Plethora, qualitas Cacochymia.

Plethora est æqualis redundantia omnium humorum, vel solius sanguinis.

Cachochymia fit defectu concoctionis, vel sex non naturalium *&c.*

Differentiæ Accidentales sunt necessariæ, ut noscantur Causis & subjectis.

Morbus est magnus symtomatibus, causis, excellentiâ partium; si brevis & magnus, est acutus; cujus sortis sunt perperacuti, desinentes intra quatuor dies, peracuti intra septem, acuti intra quatuordecim, post acutos exdecidentia.

Morbi

Morbi ſunt vel ſporades(*i. e.*) varii generis invadentes multos ſimul ; ut unum cum Opthalmiâ, alterum pleuritide, aut communes ejuſdem generis & opprimunt varios ſimul ; & ſunt vel endemei (*i. e.*) familiares eidem regioni, ſicut ſtrumæ Hiſpanis.

Denique morbi habent quatuor tempora ſecundum motionem morbificarum cauſarum.

Symptoma ſequitur morbum ſicut umbra corpus ; cujus tres ſunt partes; 1. actionis,læſæ partis, diminutæ per ægram facultatem; 2.excrementorum offendentium in ſubſtantia , cum bonus ſanguis evacuetur ; vel lapides vermes &c. 3. Qualitatis mutatæ ab actionis læſâ parte & excrementis.

SEMIO-

SEMEIOTICA.

SIgnum oſtendit aliquid aliud naturale ut flens.

Pars malè affecta noſcitur actione læsâ, excreta, ſitu, dolore, proprio ſymptomate, cui additur ſexus, ſenectus mos, *&c.*

Idiopatheticus (*i. e.*) primarius morbus eſt permanens, ſympatheticus irritus morbo alterius partis, eſt quietus, vel affligit invicem.

Species morbi noſcitur, Excretione. Dolore. Naturâ partium. Propriis accidentibus. Præcedentibus cauſis, diſpoſitione corporis, *&c.*

Morbus malignus noſcitur. 1. Naturâ, ut lues venerea. 2. Cauſis, ut aër putrefactus, corrupti humores. *&c.* 3. Sympto matibus.

Pultio-

Pultio ostendit vim cordis, Urina naturam jecoris, renis, splenis; tamen semper memento quod pulsus incertus, urina fallax, dejectiones fideles; sed omnia hæc variantur naturalibus, non naturalibus, & præternaturalibus rebus.

Inspicias urinam manè calidam intra sex horas.

Prognostica sunt valdè difficilia, colligi possunt à prædictis; in acutis non sunt certæ prædictiones vitæ & mortis, nec in principio morbi non cessat in quarto die. Errores ægrotantis & ferventes mutationes, quas nec Artifex prævidet nec imperat.

Si eventûs est signum Crisis vel Lysis, necessarium est perscribere diætam & remedia; vehemens pugna est Crysis, nulla Lysis; Crysis est subita mutatio ad salutem vel mortem; præcipuè salutem.

Si

Si intercepta Alvus pauca nigra & in ſpiras circunducta dimiſerit, & per nares eruptio fiat, malum, ob magnum incendium viſcerum.

THERAPEUTICA.

INſtruit medicos cito ſanare, tuto & jucundè aptis remediis & indicationibus.

Prima indicatio contrarietatis removens cauſam, vocatur preſervatio.

Similar morbus requirit mutationes humore; calida potius quam frigida, arida.

In Organico, obſtructio optat aperientia, in connexis morbis aliquando aliquis cum curetur, alter non ceſſat, ſicut inflammatio in ulcere primo removi debet.

In cauſis, ſubſtantia, quantitas, qualitas, locus, motio inſpiciuntur.

Vapor,

Vapor, discussio, quantitas, actuatio, qualitas, alteratio, motio vomendi, si immoderate astringuntur, vel revelantur.

1. Pars mittens, indicans revultionem in motione denota: 2. Recipiens, adstrictio, vel derivatio. 3. Pervia, interceptio; si humores sunt nimis quieti accipe attenuantia. 1. Febris in frigido corpore difficilior est, & requirit frigida medicamenta. 2. Actio si privata est, accipe remidia fortiter, si publica contra; non omnia semel, sed variis temporibus, nec omittens corroborantia.

Quoad remedia nihil hanc nobilem Artem tam reddit conjecturalem, quam quantitas, tempora, motiones; symptomata morborum, ostendunt quando sunt necessaria.

Hæc de duabus Physicæ partibus, *scil.* Hygiena & Therapeutica breviter præposui quibus etiam tres alias addidi,

Physiologiam, Pathologiam & Semeioticam, quo melius sequentia pateant; si quis id genus plura cupit, consulat Authores satis multos, qui de hisce fusiùs, vix autèm, ni plurimùm fallor, succinctiùs scripserunt.

De

Anatomia in Genere.

CAP. I.

STudium Anatomicum omnibus Naturæ Myſtis jucundiſſimum eſt, ſed Medicis & Chyrurgis ſummè neceſſarium.

In hoc quædam præcognita ſunt valde neceſſaria, & ſine quibus Ars ipſa (ut hodie tractatur) non poteſt intelligi, ſed in his ea quæ notatu tantum ſunt digniſſima breviter, ſecundum Methodum a nobis inſtitutum attingamus.

Præcognita ſunt definitio & neceſſariæ diviſiones totius Artis in genere.

Anatomia est artificiosa separatio partium sectione, instituta ut totum Corpus, ususque partis cujusque melius cognoscatur.

Pars est Corporea & solida substantia, participans de vita totius, & alicui functioni vel usui subservirus.

Pars dupliciter dividitur, vel respectu substantiæ vel Functionis.

Respectu substantiæ, in similares vel dissimilares.

Partes similares sunt quæ in partes sibi similes dividuntur, ita ut earum particulæ sint ejusdem naturæ & substantiæ.

Partes similares sunt decem, Os, Cartilago, Ligamentum, Membrana, Fibra, Nervus, Vena, Arteria, Caro, Cutis.

Partes dissimilares constant ex diversis partibus, ut Caput, Brachium, Digitus.

In respectu Functionis dividuntur in Organicas & Inorganicas.

Orga-

Organicæ sunt quæ peragendis actionibus sunt destinatæ.

Non Organicæ, quæ simpliciter usum habent, nullam vero actionem obeunt, ut Cartilagines Pinguedo, Pili.

CAP. II.

De Ossibus.

OS similaris pars est, frigida & sicca, constituta ex semine, ut corpus redderet firmum, & ejus motum adjuvaret.

Naturaliter. 1. Durum est. 2. Periostio investitum. 3. Album, rubedine aliqua interstinctum. 4. Cavum aut spongiosum. 5. Circa extremitates cartilagine incrustatum. 6. Læve. 7. Pingui humore humectatum.

Nutritur a sanguine per Arterias, (quæ ubique præterquam in maxillâ inferiori, tam exiles existunt, ut eas omnino ossibus denegent Scriptores magni) sed præsertim a Medullâ in ossibus contenta.

Medulla hæc membranâ continetur, & omni prorsus sensu caret. In fistulis majoribus rubicunda est, in minoribus alba, in ossibus spongiosis mollis & succulenta.

Sensum a tunica tegente mutuatur, nervos enim vel acutissimus nondum vidit.

Connectuntur Ossa partim ad firmitatem majorem, partim ad meliorem motum.

Conjunctio quæ est ad firmitatem eorum *Synthesis* dicitur, estque duplex.

1. *Sutura*, qualis est in ossibus Cranii.

2. *Harmonia* quæ est per lineam, rectam aut obliquam, qualis in maxillâ superiori.

3. *Gom-*

3. *Gomphosis*, qualis dentium cum maxillis.

4, *Synchondrosis* quæ fit mediante cartilagine, in ossibus Pubis, Sterno.

5. *Syneurosis* quæ ope Ligamenti, ut Ossis Femoris cum Ischio.

6. *Syssarcosis*, quæ accessione carnis, ut in Osse Hyoide.

Conjunctio quæ ad motum *Articulatio* vocatur, estque duplex.

1. Diarthrosis sive Articulatio laxior.

2. Synarthrosis sive Articulatio strictior.

Utraque tribus modis perficitur. Horum, 1. Enarthrosis cum sinus Os excipiens magnus, processus Ossis excipiendi insignis, qualis est Femoris cum acetabulo Ischii.

2. *Arthrodia*, cum sinus superficialis, processus minor, qualis est in occipitis Osse, & vertebrâ primâ colli, *&c.*

3. *Ginglymus* cum Os unum excipit suo sinu processum alterius, & contra, Os alterum sinu processum prioris, qualis in osse Femoris, & tibiâ, in humero & ulnâ.

Numerus Ossium in pueris major est, quam in adultis, nam successu temporis plurima eorum firmiter adeo coalescunt, ut separari amplius nequeant; in his quoque imminuitur numerus, cum processuum variorum osticulorum nulla omnino habeatur ratio. Hinc est quod alii 360, alii 304, alii 249, ossa numerent.

Usus ossium, 1. Fundamentum præbere Corpori. 2. Cum carne eidem formam dare. 3. Motum adjuvare. 4. Partes varias defendere.

Ossa licet suis locis in specie nobis describenda, attamen cum Anatomicus perfectus evadere nullus possit, nisi ante omnia optimè ossa cognoverit, Skeleton

ton hic loci exhibere consultum judicamus.

CAPITIS, Ossa dividimus in Cranium & Maxillas.

Cranium octo ossibus constat.

1. Os Frontis.
2, 3. Ossa Sincipitis.
4, 5. Ossa Temporum.
6. Os Occipitis.
7. Os Sphænoides.
8. Os Ethmoides.

Maxilla superior, 11. Ossibus constat, utroque nempe latere quinque sunt, quibus accedit unum impar. Horum

1, 2. *Os Zygomaticum.*
3, 4. *Os Lachrymale.*
5, 6. *Os Maxillare.*
9, 10. *Os Palati.*
11. *Vomer.*

Maxilla inferior unico tantum osse gaudet, suis Alveolis excipiens *Dentes* 32 quorum.

4 *Primores.*
2. Canini, si Oculares.
Reliqui omnes Molares, sive Maxillares.

AURIS,

AURIS, internè quatuor ossicula continet, quæ vocantur.

1. Malleus.
2. Incus.
3. Stapes.
4. Os orbiculare.

Os unicum exhibet os, Hyoides dictum.

Collum vertebris componitur septem, ex his.

1 *Atlas* dicitur.
2 Epistropheus.
3 Axis.

Reliquæ nomine carent.

Pectoris Ossa sunt superiùs *Claviculæ duæ* in Latere *Costæ veræ* 14. *Spuriæ* 10. in universum viginti quatuor. Anteriùs Sternum cum cartilagine ensiformi.

Dorsum parte superiore *Scapulas* duas offert, mediâ *vertebras* 12.

Abdomen posteriùs exhibet vertebras Lumborum quinque quibus cohæret *Os Sacrum*, uti huic *Os Coccygis*.

A

A Latere Ossis sacri *Os innominatum*, sive *Coxæ* quod dividitur, 1. In *Os Ileum* quod maximum est. 2. *Ischion*, quod infimum. 3. *Pubes* quod Anticum.

Brachium unico osse constat, quod Os brachii sive Humerus vocatur.

Cubitus duobus, quorum superius Ulna, inferius Radius.

Metacarpus octo officula continet, quibus nomina nondum imposita sunt. *Carpus* quatuor.

Digiti quindecim, quivis enim internodia tria habet.

Præter hæc, circa articulos digitorum Ossa Sesamoidea, 10, 12, 15 aut 20 reperiuntur.

Femoris Os unicum est.

Crus duplici Osse constat, horum unum, quod internum *Tibia*, alterum quod externum *Fibula* dicitur.

Hæc inter & os femoris anteriùs collocatur *Patella*.

Tarsus

Tarsus septem ossa habet quæ sunt. 1. *Tarsus* sive Astralagus. 2. Calx, sive Os calcis. 3. Os Naviculare, sive Cymbiforme. 4. Os Cuboides, sive Tessaræ. 5, 6, 7. Ossa cuneiformia, sive Sphænoidea.

Metatarsus ossa exhibet quinque.

Digitorum ossa 14. sunt, in Pollice enim duo tantum.

Ossa Sesamoidea, & hic 10. 12. aliquando 15 aut 20, inveniuntur.

Skeleton Figura.

CAP.

Pa: 34



BODLEIANA · BIBLIOTHECA

Figura Skeleton.

a a Os Frontis.
b Os temporis.
c c Duo ossa Nasi.
d d Ossa jugalia.
e e Ossa Maxillæ superioris.
f f Maxilla inferior.
g g Dentes in duabus Maxillis.
h h h h Vertebræ Cervicis, Thorax, Lumbi, & Os Sacrum.
i i Clavicula.
k k Scapula.
l l Processus earum primus qui Osse humeri articulatur.
m m Secundus, dictus Acromium.
n n Ossa Sterni.
o o Os Humeri.
p p Caput superius interiusque quod cum scapula articulatur.
q q Caput ejus superius & exterius quod implantationi ligamentorum inservit.
r Caput interius Appendicis ejus inferioris quæ Ulnam recipit.

r Caput exterius ejusdem Appendicis quæ Radium recipit.

t u Duo Tubercula Ossis humeri. *t* internum. *u* externum.

x Ulna.

y Radius.

z z Ossa octo carpi.

A A Ossa quatuor Metacarpi.

B B Digiti quatuor & pollex, quæ duo ex tribus ossibus consistunt.

12 12 Costæ duodecim.

α α Os Ileum.

β β Coxendix.

γ γ Os sacrum.

δ Os pubis.

ε ε Convexio Ossis Ilei & coxendicis cum sacro.

ζ ζ Tubercula coxendicis.

ζ ζ interiora, *η η* exteriora.

θ θ Femora.

ι ι Cervix Femoris.

κ κ Caput superius Ossis femoris quod in Acetabulum coxendicis receptum est.

λ λ μ μ Trochanteres duo.

inte-

λ λ interior. μ μ exterior.
ν ν Capita duo inferiora Ossis Femoris.
ξ ξ Patella.
ο ο Tibia.
π π Fibia.
ρ ρ Talus.
σ σ Os nabiculare.
τ τ Ossa alia Tarsi.
υ υ Ossa quinque Metatarsi.
ω ω Ossa quatuordecim digitorum.

CAP. III.

De Cartilagine.

Cartilago pars est similaris, spermatica, ligamento siccior duriorque, at osse humidior molliorque, articulationem faciliorem reddens, partesque varias ab externis injuriis defendens.

Differentia. Molliores quædam sunt, præsertim circa articulos, quædam duriores, & ar-

Naturâ ossium haud multum recedentes.

Nutritur per *Arteriolas.*

Nec nervis nec membranis, adeoque ne sensu gaudet.

Usus est facilitare motum, & partes quasdam ab injuriis externis tueri, unde ipsa injuriis vix obnoxia.

CAP. IV.

De Ligamentis.

Ligamentum pars similaris est spermatica, sicca, ossibus firmiter adhærens, & partes Corporis mutuo colligans.

Differentia. *Lata* quædam sunt & *Membranosa*, quædam *rotunda* & *nervosa.*

Notandum hic, quod hæ voces *membranosum*, & *nervosum*, scriptoribus & practicis sint usitatissimæ, & quod quam plurimos illorum seduxerint: at scire oportet, solam formam exter-

externam hic respici, neutiquam internam essentiam, utraque enim Ligamenta, membranacea æque ac nervosa, omni sensu carent, qualia minimè essent, si verâ nervi aut membranæ substantiâ constarent.

Ligamentum nullum cavum est, si *teretia Ligamenta* Uteri excipias, ex se quoque omnia *motu sensuque* destituuntur.

Usus est partes Corporis, ossa imprimis, connectere, atque a continuâ luxatione conservare.

CAP. V.

De Membranis.

Membrana pars est similaris, spermatica, lata, mollis, dilatabilis, alba, partes investira, sensumque iis adferens.

Differentia. Tenues valde quædam sunt, aliæ crassiores,

nonnullæ carneæ, pleræque non item.

Partes quæ inveſtiunt propriæ *Membranæ* dicuntur, quæ humores continent *Tunicæ*, quæ cerebrum ambiunt *Meninges*.

Senſu prædita ex ſeipsâ, membranæ enim omnes ſenſiles ſunt, imo ipſi Nervi quod ſentiant membranaceæ eorum ſubſtantiæ debetur.

Membranæ itaque ſolæ tactûs verum organum, huic ſpiritus animales inſerviunt.

Uſus eſt, 1 Partes corporis inveſtire. 2. Ab injuriis defendere. 3. Conjunctas ſervare. 4. Roborare. 5. Senſu donare. 6. Vaſorum oſcula claudere, ut ſanguis nutritius ſubito nimis in partem deferatur, aut ex ea in venam ipſam. 7. Partes quaſdam ſejungere.

CAP.

CAP. VI.

De Fibris.

Fibra eſt pars ſimilaris, ſpermatica, per cutem, carnem, & membranas diſperſa, quæ firmiores eas reddat, diſtenſasque naturaliter, naturali modo contrahat.

Differentia. Quædam ſunt rectæ, quædam obliquæ, quædam Tranſverſæ, & quædam rotundæ.

Rectæ attrahunt, obliquæ expellunt, tranſverſæ retinent, rotundæ conſtringunt. Et hoc efficiunt haud adeo virtute propriâ & ſingulari, quam quidem communi toto membro, cui inſerviunt, & a quo ſenſum alimentumque ſuum nanciſcuntur, nam per ſe ſenſu omni carent.

Uſus eſt, membranas, cutem & muſculos roborare, & ubi di-

latatæ fuerint in naturalem ſtatum deducere.

Ipſe ſanguis an fibras habeat, uti multorum eſt opinio, & nobis valde veriſimile videtur, aliàs opportunior erit dicendi locus.

CAP. VII.

De Venis.

VEna pars eſt ſimilaris, ſpermatica, membranoſa, rotunda, cava, Arteriis ubique per Anaſtomaſes juncta, ſanguinem ulteriori coctione indigentem ex iis recipiens, cordique & Hepati adferens.

Differentia. Quadruplices in corpore noſtro venæ reperiuntur. 1. Vena Cava. 2. Vena Portæ. 3. Vena Pulmonatis. 4. Venæ Lacteæ, poſtremas hic enumeratas infra deſcripturi ſumus,

mus, ubi multo commodior nobis erit occasio.

Vena Cava & Porta ex Hepate originem ducunt, sunt qui illam ex corde prodire volunt, argumento satis infirmo, & a nondum in Lucem editis embryonibus desumpto. At vero cum radices ejus plurimas in Hepate reperiam, paucas aut nullas in Corde, imo minime eam Cor ipsum intrare observem, sed tantum auriculæ ejus dextræ conjungi, antiquam potius sententiam amplector, Hepati honores eos libens concedens quos ipsi competere censeo.

Radices Venæ cavæ & Portæ in Hepate Anastomasibus multis uniri, Anatomici diligentissimi apud seculum prius sibi persuaserunt, at curiosa posterorum inquisitio clare & invenit & demonstravit, eas quidem sibi mutuo attingere, sed nequaquam hoc modo inter se uniri, ut

ut sanguis ex unâ in aliam transeat; & interim extremitates dictorum vasorum, mediante parenchymate hepatis tantum sibi invicem participare, ut lac aut aliud quid liquidi in venam portæ Syringa immissum, ad oculum sine aliqua Hepatis & venarum læsione in venam cavam leniter urgeri & fluere possit, qua de re vide Glissenii Anatomiam Hepatis. p. 272.

Tunica tantum unicâ vestiti præditæ sunt, variisque intus valvulis, maxime in externis artubus.

Nutriuntur sanguine per Arteriolas accedente, minime Venis ipsis convento.

Tactu gaudent & a seipsis & aliquando etiam a Nervis.

Usus est sanguinem non satis elaboratum ab Arteriis excipere, cordique ac Hepati quo perfectiùs coquatur restituere.

Methodi melioris in sequen-

tibus

tibus obſervandæ gratiâ, venas omnes in ſpecie hic deſcribere, ſuoſque dividere in ramos, cogimur.

Vena Cava, ex Hepate uti jam ſupra diximus, originem ſuam trahit, & in *Truncum* dividitur *aſcendentem* & *deſcendentem.*

Aſcendens qui major, diaphragma perforat, in quatuor ramos dividendus. Horum

1. *Phrænica* dicitur, per diaphragma & Pericardium ſe diffundens.

2. Coronaria, cordis baſi dicata, ex ipſo trunco, poſtquam pericordium penetravit, orificioque amplo, & carnoſo, auriculæ cordis dextræ interiùs unita, procedens.

3. Azygos, ſive ſine pari, a trunci ejusdem, ubi aſcendens Pericardii partem ſuperiorem tranſiit, latere dextro prodiens. Præcipuos ramos coſtis octo inferioribus exhibet, hinc,

hinc, circa diaphragmatis appendices carneas, ventris imi cavitatem intrat, ubi in latere ſiniſtro venæ emulgenti, in dextro trunco cavæ, inſeritur.

4. Subclavia, ex quâ ſurſum deorſumque Ramuli varii prodeunt. Horum ſuperiores ſunt.

1. *Muſcula ſuperior.*

2. *Jugulares externæ & internæ.* Externæ utroque latere, (modo ſimplex, modo duplex) collum, caput, & faciem accedunt; internæ meningem craſſam cerebri, cujus ſinui tertio major ejus ramus unitur.

Inferiores ſunt.

1. Intercoſtalis, coſtis quatuor ſuperioribus, earumque intercoſtalibus muſculis, inſerviens.

2. Mammaria, quæ ad mammas defertur.

3. Mediaſtina, quæ ad Mediaſtinum & Thymum.

4. Cervicalis, quæ ad cervicem.

5. Muſ-

5. Musçula inferior, quæ ad cervicis Musculos.

6. 7. Thoracica superior & inferior, quæ ad Thoracis musculos.

Subclavia hæc Thorace egressa Axillaris dicitur, Brachia hinc accedit, ubi in ramos tres, insignes valdè, dividitur. Sunt hi—

1. *Cephalica*, in manu, inter digitum minimum ipsiq; vicinum salvatella dicta, Rami ejus variè ramis medianæ miscentur.

2. *Basilica*, sive Iecoraria.

3. *Mediana*, quæ similiter ac ramuli alii, ex Basilicâ prodit.

Descendens truncus, qui minor indivisus ad vertebram Lumborum quartam ubi devenit, communicat.

1. *Adiposam* membranæ renum.

2. *Emulgentem*, medii ori. orificio præditam, renibus ipsis.

3. *Spermaticam*, testibus.

4. *Lumbares duas* tres aut quat-

tuor lumbis eorumque vertebris.

Ossi sacro vicinior in ramos duos magnos, *Iliacos* separatur. Hi antequam pedes accedant, truncus ipse exhibet.

1. *Musculam superiorem* musculis lumborum & peritonæo.

2. *Sacram, modo simplicem, modo geminam*, ossi sacro.

3. *Musculam mediam* natibus.

4. *Hypogastricam vesicæ*, ejusque collo, sphincteriani, utrique collo.

5. *Epigastricam* musculis Abdominis, & Peritonæo.

6. *Pudendam* pudendis.

7. Musculam inferiorem Coxæ articulo.

Iliaci rami quam primum ventris cavum relinquerunt Crurales vocantur.

Ab his procedunt.

1. Ischiatica minor coxæ, cuti, & musculis.

2. Ischiatica major coxæ, deinde omnibus pedis digitis.

3. Poplit-

3. Poplitica popliti.
4. Suralis, musculis suræ.
5. Saphæna, genu, malleolo, pedis extremi parte superiori, pollicique dicata.

Vena Cava ubi Cor egreditur, Valvulas tres interiora spectantes, tricuspidales, accipit, ad id, ut sanguis liberè Cor intrare, redire minimê, queat.

Usus ejus est sanguinem crudiorem ab Arteriis accipere, cordique remittere.

Vena Porta, venâ cavâ longe minor & laxior, ex venâ Umbilicali oritur, variisque radicibus Hepati inseritur. Extra id in Truncum & ramos dividitur, quorum omnium distributio ad partes imo ventre contentas varias.

Ex Trunco prodeunt.

1. *Gastro-epiplois*, omento & Ventriculo.
2. *Intestinalis*, Intestino duodeno.
3. *Cysticæ gemellæ*, vesicæ felleæ.

4. *Gastrica minor* latere sinistro ventriculi infervientes.

Dividitur deinde Truncus hic in ramos duos magnos, Splenicum & Mesenteriacum.

Splenicus ramus Pancreati quandoque adfitus, aliquando id transiens, quatuor ramulos promit, quamprimum Pancreas reliquit. Suntque hi

1. *Vena Gastrica major* qui Lienem accedit, *Venas* tres quatuorve *breves*, inde ventriculo communicans, hæ, in animalibus vivis, cadaveribusque inflatæ, manifestissimè declarant, nihil omnino cavitatem ventriculi intrare posse, adeoque nec humorem aliquem a Liene accedentem, quod jam longo nimis tempore docuerunt, judicarunt, & scripserunt viri docti, cum intra ventriculi tunicas terminentur, neutiquam in cavitatem ipsam hient.

2. *Epiploica dextra.*

3. *Coronaria stomachica.*

4. *Epi-*

4. *Epiploica sinistra.*

Mesentericus ramus similiter in quatuor distribuitur alios. Horum.

1. Antiquam appellationem retinet, ramulis quatuordecim pluribusve per Mesenterium distribuendus.

2. Vena Hæmorrhoidalis Lienem, uterum, atque Intestinum rectum.

3. Vena Cæcalis, Intestinum cæcum.

4. Ramus Mesocolicus, intestinum colon accedens.

Usus Venæ Portæ est, sanguinem minus debito elaboratum ab Arteriis assumere Hepatique ad perfectiorem coctionem, bilisque separationem adferre.

Vena Pulmonalis (quam Antiquiores perperam Arteriam Venosam appellarunt cum unica tantum Tunicâ constet, ex se non pulset, neque sanguinem reducat) ex Ventriculo

Cordis ſiniſtro prodiens, patente orificio, pulmones accedit, ſanguinem imperfectiorem ex Arteriâ Pulmonali accipere, cordique afferre apta.

Antequam Corde egrediatur *Valvulis* gaudet *duabus Mitratibus* mucrone exteriora ſpectantibus, ſanguinis ad Pulmones regreſſum impedientibus.

Uſus ejus, ſanguinem ex Arteriâ Pulmonali acceptum, in ſiniſtrum Cordis ventriculum deferre.

CAP.

A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
L
M
N
O
P
Q
R
S
T
V
X
Y
Z
5
3
5
2
2
4
4
1

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

CAP. VIII.

De Venis Externis.

HActenus de Venis Internis, *viz.* Vena Cava, Vena Porta, Vena Pulmonali, Vena Lacteæ, & ejus Ramis.

Nunc pauca loquemur, de Venis Externis, vel propriis pro Sanguinatione vel Phlebotomia.

In Phlebotomia, neceſſitatis tempus eſt cum morbus inducias nullas dat, ob gravitatem ut in peſte, ſquinantia Pleuriſi, Phreneſi, Apoplexia, & id genus aliis in quibus, electum expectare tempus periculoſum, eo quod citiſſimè interimunt, tempus vero Legis urgens neceſſitas non recipit, quare omni tempore, omni hora, & interdiu & noctu vena inciditur.

Figura.

A In medio frontis aperta, conferunt oculorum abscessibus, hemicraneæ, cephalalgiæ, phreneſi, veſaniæ, delirio & lepræ.

B Venæ temporum inciſæ ex utraque parte frontis, valent contra dolores Aurium, & nimium oculorum rheuma.

C In angulis oculorum, venæ ſectæ conducunt in viſu clarificando, fluxuque avertendo, nebulam ſeu albulam quam ungulam dicunt, diſcutiunt palpebrarumque inverſionem corrigunt.

D Aurium concavitas utrinque venis referta ſingularibus quæ tuſæ ex utraque parte capitis tremorem tollunt, tinnitum aurium auferunt, & novellam ſurditatem accreſcere prohibent.

E Gravedinem capitis & oculorum fluxum curat vena in ſummitate naſi ſecta.

F Venæ

F Venæ duæ retro aures ex utraque parte valent ad bonam memoriam, & ad mundificandum vultum, à puſtulis, & omnes alias maculas faciei.

G Venæ labiorum inciſæ apoſtemata ore exiſtentia & gingivas infeſtantia tollunt.

H Faucibus oris conferunt, puſtulis faciei, ſcabiei capitis, doloribus dentium & mandibularum, Gravedini capitis Gutturis & Oris.

I Sub lingua ſectæ valent ambæ contra dolorem dentium, & gingivarum, & contra rheuma capitis, contra apoſtemata gutturis, contra ſquinantiam, & omnia oris vitia.

K Venæ ſub mento conducunt maxillarum dolori, pruritum auferunt, & narium fætorem dolores faciei & puſtulas, item pectoris dolores.

L Sub axillis ſunt venæ baſſores dictæ, quas ſi quis incidi curaret

curaret ridendo vitam claudaret, quare semper fugiendæ.

M Transiens vena sinistro & curvo modo in ambobus brachiis debet incidi contra dolores pectoris & pulmonis, confectis qui graviter spiritum trahunt.

N Vena cephalica à capite habet principatum, hinc incisa valet contra fluxum oculorum, & contra omnes dolores capitis, & contra caducum.

O Hepatica vena si non bene incidatur locum facit tumescere, nec non & apostemata generantur, & spasmus in brachiis & digitis, feliciter incisa conducit omnibus doloribus jecoris & stomachi & splenis, fluxum restringit è natibus, tollitque puncturas lateris, incisio ejus præcipuè & principaliter debet fieri Nonis Maii die post festum sancti Chrisostomi id est 7 Maii.

P Me-

P Mediana si non bene incisa fuerit dat spissiorem sanguinem, bene vero tacta prodest contra omnes dolores membrorum, cordis, stomachi, costarum & laterum, ex errore incisionis saniem pessimam nutrit, & vulnera sanniosa, & ad perniciem hominum producit, principaliter fieri debet ejus incisio Nonis Septembris circa festum nativitatis beatæ Mariæ virginis.

Q Venæ in ambobus lateribus corporis inciduntur contra pustulas aquaticas & contra Lienteriam.

R Vena inter pollicem & manum in utraque manu aperitur contra dolorem capitis, oculorum, contra febres & fellis effusionem.

S Vena inter medium & Annularem in utraque manu nunquam incidenda, nisi quod

quod ſummum ſe præcipit aut velit periculum.

T Vena inter minimum digitum, dicta ſalvatella in utraque manu, aperitur contra Iſteritiam, item vitia ſplenis, febribuſque qualitercunque ſubvenit: ac ſi melancholia peccaverit in ſplene nimia repletione, tum in ſiniſtro Latere tundenda, item quando uterus nimis repletus, nec non in apoſtematibus & & doloribus renum: In dextra vero parte ſeu manu ſalvatella venit aperienda quando ſanguis peccat in qualitate vel in quantitate vel in utraque, ſi quidem Hepar in dextram, matrix, Splen & Ren, ad ſiniſtrum declinat latus.

U Sub præputio vena ſecta valet contra Hydropiſim & corporis tumores.

X Vena ſuper priapum, commode ſecatur in tumoribus

&

& inflammationibus testiculorum, & vitiis vesicæ ex urina & calculo generatis.

Y Duæ venæ coxarum & tibiarum, in utroque pede evacuatæ tollunt coxarum, tibiarum & crurum dolores, prosunt Nervorum contractioni & tumoribus.

Z Vena sub utroque genu aperitur contra apostemata & dolores renum lumborum, & coxarum, & vesicarum, arthreticas præcisiones mirabiliter curat.

1 *A A* Duæ venæ sectæ in utraque parte conjunctæ pudibundis valent contra omnia vitia, strangiriæ, lienteriæ vesicæ & testiculorum dolores.

2 *C C* Duæ venæ interiores sub talis in utroque pede quælibet proficua in arena & calculo, mulieribus quinetiam post partum non bene purgatis,

malèque disposítis ad recipiendum semen.

3 *B B* Venæ duæ exteriores Zaphenæ sub talis in utraque pede phlebotomantur contra dolores Ancharum, & contra inflammationes & apostemata testiculorum.

4 Vena utroque pede supra pedicam majorem valet contra ophthalmiam & contra faciei pustulas item crurum, nec non contra conceptionem.

5 Vena in utroque pede supra pedicam minimam, secta contra colicam magnum confert emolumentum.

ÆTAS.

Denus septenus vix phlebotomian
(petit annus
Ætatis mediæ multum de sanguine
(tolle;
Si puer atque senex tollet utercque
(parum
Ver

Ver tollat duplum, reliquum tempus (tibi simplum
Æstas ver dextras Autumnus Hy- (emsque siniſtras.

TEMPUS.

Quatuor hæc membra, cephe cor pes (hepar vacuandæ
Ver cor hepar Æstas, ordo ſequens (reliquas
Hi ſunt tres menſes Maius, Sep- (tember, Aprilis.

USUS.

Uſum phlebotomiæ ſequentia docent.
Lumina clarificat, ſerenat phlebo- (tomiæ
Mentes, & cerebrum, calidas facit (oſſe medullas
Viſcera purgabit ſtomachum ven- (tremque coercet.

CAP. IX.

De Arteriis.

ARteria pars est similaris, spermatica, membranosa, rotunda, Cava, osculorum ope venis ubique juncta, sanguinem nutrititium cum spiritu vitali, continens, omnibusque corporis partibus adferens.

Differentia. Duplex hæc est, *Magna* sive *Aorta*, & pulmonalis.

Arteria magna ex ventriculo Cordis sinistro prodit; duplici ubiq; præterquam in Cerebro, partibusque aliis mollioribus, *Tunica* constat: Narum exterior illi quæ venarum crassitie similis est: at interior quintuplo crassior est, ne, circa partes duras atque consistentes continuo

continuo pulsans, rupturam insanabilem incurrat.

Valvulas tres, *Sigmoides*, exteriora spectantes, accepit.

Orificio vasto Cordis ex Ventriculo procedens, antequam, Pericardio perforato, in Truncum ascendentem, & descendentem dividitur, cordi coronariam exhibet.

Truncus ascendens, qui minor, *Tracheæ* incumbens in *subclavias* duas separatur, a quibus adhuc Thorace detentis, proveniunt.

1. *Intercostalis superior*, costis quatuor superioribus.

2. *Cervicalis* musculis cervicis.

3. *Mammaria*, mammis.

4. *Carotis externa* & *interna* Laryngi, Linguæ, collo, capiti, & cerebro dicatæ.

Thoracem ubi reliquerunt, Axillares vocantur, pectorique nutrimentum adferunt.

1. 2. Per *Thoraciam superiorem* & *inferiorem*.

3. Per *Scapularem.*
4. Per *Humerariam.*

Deinde tendunt ad Brachia, in quibus venæ cavæ ramis accumbunt atque ſuccumbunt, eodem itaque nomine quo illi dignæ.

Truncus deſcendens qui major, thorace adhuc detentus.

1. *Intercoſtalem ſuperiorem* octo inferioribus coſtis exhibet.

2. Phrenicam diaphragmati atque Pericardio.

Hinc, diaphragma ubi perforavit, communicat.

1. Cæliacam ventriculo, a quâ Splenica & Gaſtro-Epiploica dextra.

2. 3. Meſentericam ſuperiorem & inferiorem Meſenterio.

4. Emulgentem renibus.

5. Spermaticam teſtibus.

6. Lumbares Lumbis.

7. Muſculam ſuperiorem Abdominis Muſculis.

Tandem in ramos duos Iliacos dividitur, circa diviſionem hanc exhibens, 1 Muſ-

1. Musculam inferiorem.
2. Epigastricam.
3. Hypogastricam.
4. Umbilicalem.
5. Pudendum.

Extra Abdomen nomen suum mutant & Crurales vocantur, sicque per pedem descendunt, venis ubique comites, a quibus nomina mutuari possunt.

Usus est sanguinem nutritium cum spiritu vitali ad omnes corporis partes deferre.

Arteria Pulmonalis, (quæ malè *Vena arteriosa* appellatur, nam pulsat, et idcirco duplici constat Tunicâ, & intra se sanguinem nutritium continet) ex ventriculo Cordis sinistro emergens, duplici ramo Pulmones ingreditur, perque eos variis ramulis distribuitur, sanguinem nutritium ipsis adferens; hic quod in sanguine non salis coctum venæ Pulmonali exhibet, quo, ea mediante, cor-

dis ventriculo sinistro reddatur, & denique per Arteriam magnam omnibus Corporis partibus communicetur.

Valvulæ antequam è Corde egreditur ipsi concessæ sunt *Sigmoides* tres, foras spectantes ne sanguis eam ingressus in Cordis ventriculum relaberetur.

Usus est, sanguinem ex ventriculo Cordis dextro in pulmones deferre, ut eo nutriantur, & quod a nutritione supereſt, mediante vena pulmonali in Cordis ventriculum sinistrum deducitur.

Hoc loco Anatomiæ cultoribus notificare placet, præter Valvulas 11 quas in vasis 4 enumeratis dari indicavimus, *varias alias* in Corde inveniri, proprio adhuc carentes nomine.

CAP.

CAP. X.

De Nervis.

NErvus est pars similaris, spermatica, membranosa, rotunda, alba, cava, spirituum animantiū deductioni inserviens, ut ita partes corporis mobiles ac sensiles evaderent.

Originem sortiuntur Nervi ex cerebro, dividuntur intra Cranium in 8 paria, extra idem, qui nempe ex spinali Medullâ proveniunt in paria 30, horum 7 ex vertebris cervicis, 12 ex Vertebris Dorsi, 5. Ex vertebris Lumborum. 6. Ex osse sacro.

Paria octo intra Cranium a cerebro prodeuntia sunt.

1. *Par olfactorium* quod processibus Mamillaribus adhæret.

2. *Par opticum*, quod maximum, in medio unitum.

3. *Par*

3. *Par oculos movens.*
4. *Par gustatorium primum.*
5. *Par gustatorium secundum.*
6. *Par Auditorium.*
7. *Par Vagum*, quod Membranis robustis investitū, per foramen ossis occipitis descendit ad jugulum, ramulos postquam collo Laryngis, Linguæ, ossisque Hyoidis musculis impertivit, hinc in ramum internum & externum dividitur in utroque latere.

Ramus externus dexter dimissis aliquot furculis ad musculos pectoris, *Nervum* constituit recurrentem dextrum. Confert hic ad sonum, imo ad tactum quoque in pleura, tunica pulmonis, Pericardio atque orificio superiori ventriculi, cum partes illæ omnes ab eo ramulos nanciscantur.

Ramus externus sinister recurrentem sinistrum efficit, ad eadem ferè partes accedens, quas accedere dextrum diximus, ad

Ventri-

Ventriculi orificium dictum delatus dextro jungitur, ſicque progreditur, & ad ventriculi orificium inferiùs, & ad Hepatis partem inferiorem.

Ramus internus dexter intercoſtali cuivis muſculo propaginem exhibet, Diaphragma ubi perforavit, infimi ventris partes omnes nervo inſtruit circa os ſacrum finem aſſumens.

Rami interni ſiniſtri eadem eſt diſtributio.

8. *Par* linguam movens.

Nervi *Cavitate* gaudent, at vero viſu eam dignoſcere non licet, niſi in Nervis Opticis, atque pudendi.

Uſus eorum eſt ope ſpirituum animalium toti corpori ſenſum & motum exhibere.

CAP.

CAP. XI.

De Musculis, ejusque partibus in genere.

1. MUsculus, si rectè definiatur, dissimilar vel Organica pars est, (a suâ propriâ membranâ, fibrosa carne, tendone, vena, Arteriâ et Nervo formatus) a natura velut libeti motûs instrumentum constitutus.

2. Sunt vel communes vel proprii, communes Musculi sunt 3. Vena, Arteria & Nervus: Proprii 3. *viz.* Caro Fibrosa, Membranæ ac Tendines.

3. Arteriæ tam musculis, quam reliquis humani corporis partibus, vitalem calorem nec non nutrimentum deportant.

4. Ha

4. Hæ communes musculorum partes appellantur, quoniam æque eis, ac ceteris corporis partibus communes sunt, quæ eodem vasculorum genere præditæ.

5. Partes propriæ sic vocantur, quia musculo propriæ & & peculiares sunt.

6. Quarum prima est fibrosa caro, vel Carneæ fibræ quæ a nonnullis in duas partes distinguuntur; *scil.* Fibras & Carnem, iterumque fibræ in carneas & membraneas; fibram jam præcedentibus capitulis definivimus.

7. Unicuique musculo sit propria sua membrana, quâ involvitur, atque eam ab aliis distinguit cui ejus origo debetur.

8. Ultima Musculi pars propria, tendon est.

9. Omnibus Musculis, qui ad ossium motus designantur, sunt tendones quæ iisdem ossi-

bus inseruntur, quæ moturæ sunt.

10. Tendones nonnunquam rotundæ sunt, prout in musculo bicipiti, nonnunquam etiam latæ ut in obliquo & tranverso ventris musculo.

11. Usus sive actio Musculi est libera motus.

Musculorum differentiæ a variis rebus sumuntur.

1. Ab eorum substantiis, nonnulli enim sunt carnei, *scil.* Linguæ & Saryngis, alii membranei, velut constrictores, aut interni adducentes nasi; alii etiam partim carnei, partimque nervosi, velut temporales.

2. Qualitatibus, quidam sunt longi, ut est rectus abdominis musculus, longissimus dorsi, *&c.* & alii breves, velut Pyramidalis, abdominis imo; nonnulli lati, alii Anguſti, quidam vero densi, aliique tenues.

3. Situ, nonnulli vocantur interni, alii externi, quidam ob-

obliqui, arcti, vel transversi.

4. Principio, nonnulli ab ossibus proveniunt, alii cartilaginibus, prout isti Laryngis, aliique a membranis quæ alicujus aliûs musculi tendonem invertunt.

5. Insertione, ut oculorum musculus.

6. Compositione, seu partium varietate.

7. Actionibus, unde quatuor musculorum differentiæ sumuntur. 1. Enim nonnulli fraterni sive congeneres appellantur, quia alii alios in eorum actionibus adjuvant. 2. Alii sese movent ut sphincteres. 3. Quidam unicam habent actionem ut maxima pars musculorum, alii varias actiones, velut Masseter & Trapezius.

Istorum actionum causa efficiens est anima, vel loco-motiva animalis facultas quæ cum a quodam objecto provocetur aut repugnetur, totum corpus

vel aliquod ejusdem membrum movet, cujus motûs musculæ immediata sunt instrumenta. At Nervi spiritus animales musculis deportant, nec non mediata sunt.

De Musculis ipsis nihil hic addam, satis dicturus sum suo loco, sed duas figuras adjunxi quibus tot musculos exhibui quot in tam angusto spacio contrahi potuit.

Prima Figura.

Figura



BIBLIOTHECA · BODLEIANA

BIBLIOTHECA BODLEIANA

t
q
α

Figura prima Musculos in anteriori Corporis parte repræsentat.

a *Musculus Frontalis.*
b *Temporalis.*
c *Masseter.*
d *Mastideus.*
e *Deltoides.*
f f *Biceps.*
g *Extensor Carpi.*
h *Carpi constrictor.*
* *Pollicis constrictor.*
i *Juncturæ tertiæ Pollicis extensor.*
k k *Musculi Pectorales.*
l l l l *Musculi Abdominis recti.*
m m *Linea alba.*
n n *Oblique descendentes.*
o o *Musculus Sartorius sive Fascialis.*
p p *Musculi* Femoris *recti.*
q q *Triceps.*
r *Pars Membranosi.*
s s *Vastus internus.*
t *Vastus internus.*

Figura secunda Musculos posterioris corporis partis representat.

a a *Trapezius.*
b *Deltoides.*
c *Supraspinatus.*
d *Infraspinatus.*
e *Teres major.*
f *Brachii extensor.*
g *Brachialis.*
h *Carpi extensor exterior.*
i *Carpi alter extensor.*
k *Musculus radii longus.*
l l *Latissimus dorsi.*
m m *Oblique descendens.*
n *Quadratus.*
o o *Glutæus maximus.*
p *Vastus externus.*
q *Pars Membranosi.*
r r *Semiervosus.*
s s *Semimembranosus.*
t *Gracilis.*
u *Triceps.*
x *Biceps.*
y *Subpoplitæus.*
z z *Gastrocnemius.*
a *Peronæus.*

CAP.

CAP. XII.

De Carne.

CAro pars est similaris, sanguinea, mollis, crassa, cum ossibus corpori firmamentum præbere, spermaticasque partes tegere, apta.

Differentia. Caro triplex est

1. *Musculosa.*
2. Glandulosa.
3. Viscerosa.

Caro Viscerosa sive Parenchymatica rubra est, & subdura vasorum fulcimento; variisque operationibus, nempe Pulmonis, Cordis, Hepatis, Lienis, renum, *&c.* inserviens, de quibus suo loco dicetur.

CAP.

CAP. XIII.

De Cute.

CUtis est pars similaris, spermatica, sanguine exiguo permista, rubicunda, alba, laxa, corpus investiens, & tactui tanquam pro instrumento inserviens.

Cuticula est instructa, ut tanto magis corpus nostrum tueatur, porisque ubique perforata, ut fuliginibus, vaporibusque inutilibus exitus detur, *Foraminibus* itidem prædita manifestis, qualia sunt Os, Nasus, Auris, *&c.* quorum unus unicuique satis est perspectus.

Venas Arteriasque possidet Cutaneas, imo & Nervos.

Usus est Corpus investire, præterquam quod etiam instrumentum sit tactûs.

CAP.

CAP. XIV.

De Pinguedine, Unguibus, & Pilis.

PInguedo, Pili, & Ungues an partibus corporis annumerari debeant, an vero mutilibus corporis excrementis diu multùmque inter doctos agitatur. Verùm ego nemini bene curatam & pinguedine obsitam cutem invideo, neque de Pilis rixari soleo, imo non lacerantem unguibus, non facilè lacerabo. Qua de causa, ea nec excrementa habenda censeo, nec partes propriè dictas.

Non sunt excrementa dico, corpora enim sunt communi cum reliquis vitâ nutrimentoque gaudentia, neutiquam alia nutrientia, publicumque in com-

commodum usus obtinent singulares.

Non Partes sunt propriæ dictæ circumscriptione enim certâ destituuntur, nullamque operationem specialem edunt. Pinguedo tempore necessitatis & inediæ nutrimentum præbet, Pili vero & ungues sine læsione totius decurtari queunt.

Adeps, Sive *Pinguedo similaris pars est, sanguine constans, mollis, alba, insensilis, calorem nativum conservare, Chylificationem adjuvare, motum facilitare, partes siccas humectare, & tempore inediæ corpus nutrire, apta.*

Pilus pars est similaris, ex abjectissima sanguinis parte productus, partes quasdam tegens, & aliquo modo exornans.

Exteriùs quadratus est, intùs cavus, coloris varietas temperamento hominum, ætati, aeriique sive Regionis constitutioni debetur.

Unguis

Unguis pars est similaris, ex parte itidem sanguinis impurissima genitus, flexilis, durus, digitos ab externis injuriis defendens, & quodammodo exornans.

Radix ejus ligamento cuidam jungitur, & obvicinos adsitosque ei tendines sensilis est.

Liber Secundus.

DIVISIO

DIVISIO
Corporis Humani.

LIB. II. CAP. I.

CORpus humanum commodissimè dividitur in *Ventres* & *Artus*.

Ventres tres sunt.

1. *Caput*, sive Regio, aut Cavitas suprema, cui Collum additur quod ejus fulcimentum est.

2. *Thorax*, sive Regio Media.

3. *Abdomen*, *Venter imus*, sive Regio infima.

Artus sunt *Manus* duæ, *Pedes* totidem.

Sed quia partes in ventribus contentæ, sunt maximè fluidæ,

& putrefactioni obnoxiæ, hæ partes primo per Anatomicos diſſectæ ſunt; ſed ante omnes Abdomen, quia inteſtina continens, citiùs corrumpit, & Nares Artiſtæ offendit, & ideo ſecundum Methodum Anatomicam, cum illo, quamvis infimo, incipiemus.

CAP. II.

De Abdomine.

De partibus Ventris hujus externis.

INfima cavitas propriè *Venter* vocatur, dividiturque exteriùs in tres partes.

1. *Epigaſtrium* eſt, cujus latera *Hypochondria* dicuntur.

2. *Regio Umbilicalis*, cujus latera *Ilia* dicuntur.

3. Hypogaſtrium, cujus latera *Inguina* appellantur.

Pars

Pars inferior Pilosa *Pubes* nominatur.

Abdomen sub integumentis communibus *musculos* habet decem, utroque latere quinque, ad excrementorum crassorum intestinis contentorum exclusionem magnopere utiles. Suntque hi

1. *Oblique descendentes*, quos superiùs Umbilicus, inferiùs in Viro, processus Peritonæi, in muliere ligamentum uteri teres perforat.
2. *Oblique ascendentes.*
3. *Recti*, lineis transversis in tres quatuorve divisibiles.
4. *Pyramidales.*
5. *Transversi.*

In medio Abdominis, inter utrumque Musculum rectum, ex concursu Tendinum latorum tenuiumque musculorum reliquorum *Linea alba* oritur, sensilis admodum.

De *Venis*, *Arteriis* & *Nervis*, imi Ventris partium internarum

rum æque ac externarum, libro primo egimus, & ibi etiam quædam de ossibus adduximus. Hæc curiosiùs examinanti, primo *Vertebræ* occurrunt *quinque Lumborum*, foraminulentæ admodùm, reliquis omnibus longè ampliores, crassioresque.

Hisce subjacet *Os sacrum* triangulare, in adultis ex unico tantum osse, in junioribus ex quinque aut sex constans.

Connexum huic *Os Coccygis*, in muliere extrorsum magis flexum, in viro magis introrsum.

Lateribus ossis sacri adstat *Os innominatum* sive coxæ, ex tribus ossibus cartilagine junctis compositum. Horum

1. Est *Os ilieum*, multo crassius in muliere quam viro.

2. *Os Pubis*, faciliùs separabile ab anteriore parte in Muliere quam in viro.

3. *Os Ischion* sive *Coxæ*, sinu præditum amplo, qui *acetabulum* sive

sive *Pyxis* dicitur, capiti ossis femoris recipiendo dicatum.

CAP. III.

De Abdominis partibus internis.

INternarum partium prima *Peritonæum* est omnes alias anterius & posteriùs superiùs atque inferiùs comprehendens.

Peritonæum est Membrana duplex. Origo ejus potiùs a vi membranificâ deducitur, quam a Meningibus cerebri.

Connectitur Diaphragmati, & vertebræ primæ tertiæque Lumborum.

Crassius in Muliere ab umbilico ad Pudendum adeoque fortius, circa Pubis ossa terminum adsumens.

In viro robustius ab umbilico ad Diaphragma, & posquam

vasa Spermatica tanquam in Vagina exceperit, exteriorem Membranam deorsum ad testes dimittit, ubi tunicam eorum primam constituit.

Intra Peritonæi hujus duplicaturam vasa quatuor umbilicalia recumbunt.

1. Vena Umbilicalis.

2. 3. Arteriæ duæ Umbilicales.

4 Urachus ab Umbilico proveniens, qui nihil est nisi nodus induratus vasorum dictorum.

In infantibus hæc aperta, in adultis clausa & in Ligamenta mutata.

Vena Umbilicalis Hepar accedit, Urachus vesicam urinariam, Arteria utraque Umbilicalis arteriæ magnæ ramos Iliacos.

Omentum, ventriculum atque intestina calefaciens, pinguis admodum est & duplex. Tunicis tamen constat tenuissimis

simis foraminulis multis pertusis.

Originem sumit ex Peritonæo, sub quo etiam decumbit, plerumque se eo usque extendens, quousque intestinum colon, quandoque tamen etiam ipsi ossi pubis accumbit.

Ventriculus, chyli officina, tribus componitur tunicis; externa communis ipsi cum Peritonæo, intima cum dura Meninge, media propria est, ista Crassior, illa carnosa, hæc rugosa.

Fibras omnis generis habet, carne spongiosâ intus incrustatus.

Situm agnoscit in Medio hypogastrii, vertebris Lumborum incumbens, orificium ejus sinistrum, Os sive Stomachum dicitur, dextrum Pylorus.

Ventriculo continuata sunt intestina, Chylum vehentia, excrementaque expellentia. Ejusdem fermè cum Ventriculo

ſubſtantiæ ſunt, omniumque optimè in craſſa & tenuia dividuntur.

Tenuia reperiuntur tria.

1. *Duodenum*, in quo finem ſuum ſortiuntur veſica fellea, cum ductu Chaledocho, & ductus novus Pancreaticus.

2. *Jejunum*, in quo venæ lacteæ copioſiores quam in aliis.

3. *Ileon*, quod omnium longiſſimum.

Craſſa etiam tria conſpiciuntur.

1. *Cæcum* cum Appendice vermiformi.

2. *Colon* cum ligamentis duobus externis, & valvulâ internâ.

3. *Rectum*, cum Muſculis duobus Anicratoribus, & conſtrictore ſive Sphinctere uno.

Inteſtina hæc omnia, ope Meſenterii & inter ſe & cum vertebris Lumborū connectuntur.

Meſenterium, membranâ conſtat duplici, valida, plurimiſque

que inter Tunicam utramque recumbentibus glandulis. Exiles hæ admodum sunt, ut omnino aciem oculi fugiant sed plerumque se post diuturnum morbum, exceptis tribus, produnt; quæ ex naturali constitutione majores, teretes, albicantes, & firmiori carne præditæ, conspiciuntur.

Maxima earum in Medio mesenterii posita est, & pressa lac album tenuius, modo crassius exhibet, quod nil nisi Chylus, idem etiam reliquæ duæ exhibent, quæ situm suum plerumque habent in sinistro latere, sub venâ emulgente supra Musculum Psoas haud procul a vertebris Lumborum.

Quemadmodum hæ glandulæ plurimas venas lacteas, ita quævis earum ramulum iterum promit, qui mox conjuncti *Venam Lacteam Thoracicam* constituunt, quæ modo dicto ascendens, Chylum cordi submini-strat.

Pan-

Pancreas pulvinaris ad instar ventriculo succumbit, duodeno intestino connexum, in quod ductus ejus novitèr inventus ab Authore *Wirsungianus* dicto, penetrat. Sepiùs in hoc bilis, nunquam vero sanguis reperitur.

Lien sanguinem emendans, humorem acidum continet, quem non per vasa brevia ad ventriculum, sed per ramum splenicum ad Hepar, ablegat.

Substantiâ constat rara, tunicâ propriâ, ex Peritonæo minime procedente tecta.

Coloris est ex atro rubicundi.

Ventriculi fundo cohæret opè vasorum brevium, costis spuriis, reni sinistro, omento atque Peritonæo quoque, & Diaphragmatis parti carneæ, carnosarum fibrarum beneficio.

Viscus nullum tam multis abundat Arteriis quam Lien, excepto cerebro.

Nervi,

Nervi, quos a pari noſtro ſeptimo accipit, per tunicam potius quam Perenchyma ipſum diſtribuntur.

Non in parte anteriore ſiniſtri lateris ſitum ſuum habet, ſed poſtica, circa renem ſiniſtram, coſtis ſpuriis, vertebriſque incumbens, quod accurate obſervandum.

Hepar ſanguinem refrigerans, Venarum magnarum Mater, in Hypochondrio reſidet dextro, magnamque ventriculi partem obtegit.

In duas quaſi partes dividit umbilicalem venam, quæ in jam natis pro Ligamento inſervit.

Magna, craſſa, & dura ſubſtantia eſt, rubri coloris.

Duobus Ligamentis ex Peritonæo connectitur Diaphragmati, & ad Muſculos Abdominis per Venam umbilicalem.

Ramos paucos a Celiaca accipit, Nervos varios ex ſpinali Medullâ

Medullâ & septimo nostro pari.

Parti ipsius dextræ, inferiùs connectitur vesicula Fellis cum Poro Biliario, utriusque rami cum ramis venæ portæ vesicula quadam communi Capsula *Glissonio* dicta comprehenduntur. Rami hi vesiculæ fellis & ductus colodochi sive biliarii, in Hepate detenti, parenchyma totum pererrant ubique capsulæ nominatæ inclusi; rubicunda hæc est crassitie Arteriæ ferè similis, a Peritonæo, ut videtur, originem habens.

Rami externi conjuncti duodenum Intestinum perforant Arteriolas duas a cæliaca, venasque ex venâ portâ *gemellas* dictas cum vesicâ ipsâ assumentes

Renes sanguinem depurantes carne constant singulari, densaque tunica propria investita.

Exterius pinguedine, & ampla, laxaque tunica a Peritonæo prodeunte investiuntur.

Musculis

Musculis lumborum incumbunt (siniſter tamen dextro altior) intra Peritonæi duplicaturam, & ſuperiùs ipſis accumbunt Glandulæ cavatæ, *Renes ſuccenturiati* ſive Capſulæ atrobilariæ dictæ. In has rami a Venis & Arteriis emulgentibus excurrunt, Netvi itidem a *pari vago*.

In Rene aperto carunculæ papillares novem occurrunt, per quas ſerum in pelvim diſtillat, per Ureteres ad Veſicam deferendum.

Ureter ſine *Meatus Urinarius* hærens adhuc in ipſis renibus mediocris eſt magnitudinis, ſed extra procedens valde anguſtus eſt, duabus ubique tunicis præditus inferiori ipſi propriâ, & exteriori, quam cum Peritonæo communem habet.

Intra Peritonæi duplicaturam deorſum, ſupra Lumborum muſculos, ad veſicam properat, cujus cervici inſeritur,

mox intra membranas ſurſum aſcendit, ubi interiorem tunicam perforat, eodemque foramine cum alterius lateris uretere veſicam intrat exile hoc admodum, arcteque clauditur, adeo ut valvula hic nulla Urinæ regreſſum impediente, opus fuerit.

Veſica Urinaria membranis itidem duabus conſtat, harum externa craſſior eſt & carnoſa, interna minimè.

Intra Peritonæi duplicaturam in illâ Hypogaſtrii cavitate ſita eſt, quæ Pelvis dicitur.

In fœminis vaginæ uteri anteriùs cervice connectitur.

Cervix hæc carnoſa valdè, fibrarumque ope Sphincteris inſtar aperit & claudit veſicam, in viris longior eſt, anguſtior, magiſque incurvata; in fœminis brevior, amplior, & rectà magis.

Vaſa ſanguinea veſicæ rami ſunt vaſorum Hypogaſtricorum,

rum, Nervos plurimos ex pari noſtro ſeptimo & oſſe ſacro accipit.

Reſtant adhuc *Vaſa Seminaria* vel *Spermatica*, quæ pro diverſitate ſexûs etiam diversè variant.

In viris primo occurrunt *Venæ* & *Arteriæ Spermaticæ*, utrinque una, ſanguinis ad teſtes deductioni, aliqualique præparationi, inſervientes.

Vena Spermatica dextra ex venâ cavæ trunco deſcendente oritur; Siniſtra ex emulgente ſiniſtrâ. Arteria utraque ex Arteriâ magnâ.

Quatuor hæc vaſa, contorta valdè, ureteribus inſtrata, teſtes accedunt, ſed antequam eos attingunt, circa & in proceſſu Peritonæi multis Anaſtomoſibus & quibuſdam Nervis uniuntur, & Corpus unicum efficiunt quod Pampiniforme vocatur.

Teſtes ipſi nunc ſequuntur ſeminis Organa, Muſculo gaudent Cremaſtere, tunicisque duabus communibus, & tribus propriis.

Communes ſunt.

1. Burſa illa rugoſa, quæ *Scrotum* dicitur, cutis nempe tenuior & mollior quam aliis in partibus.

2. *Dartos*, carnoſa, *ſcil.* Membrana vaſis plurimis ſcatens.

Propriæ ſunt.

1. *Elythroides*, ex proceſſu Peritonæi.

2. *Elythroides*, ex Muſculo Cremaſtere.

3. *Albuginea* ex vaſis Spermaticis.

Subſtantia teſtium alba eſt mollis, rara, glandulis aliquomodo ſimilis.

Incumbit ipſis tranſverſo ſitu Corpus vermiforme, quod ſenſim anguſtiùs redditum, vas ejaculatorium conſtituit, quod *Epididymus*, ſive *Paraſtata* dicitur.

Vas

Vas ejaculatorium album, cumque instar Ureteris, circa Vesicæ cervicem semen in vesiculas seminales defert ibique semen ad tempus commodum servatur.

Anteriùs, paululùm procedens, glandulas duas insignes invenias, quibus liquor oleosus acrimoniam Urinæ mitigare valens, continetur, hæ *Prostatæ* vocantur.

Ultimo se offert *Penis* sive *virga* urinæ seminisque evacuationi dicata.

Substantia ipsi peculiaris est, cui similis in universo corpore non datur.

Cuticula, imo etiam in pinguissimis hominibus pinguedine omnino destituitur.

Cute legitur laxa, duplici, & *præputium* constituente & *glandem* tegente cui frænuli ope abligatur.

Cuti, panniculoque carnoso vasa supra descripta succumbunt.

Hiſce vicini *Muſculi* quatuor quorum duo *erectores*, duo *ejaculatores*, muſculisſubjecta *Corpora* duo *nervoſa*, maximam partem Virgæ conſtituentia, ejuſdemve rigiditatem atque flaccidita-tem fungoſitate ſuâ procurantia. Infima parte penis *Urethra* occurrit, duabus tunicis conſtans, interiore tenui & valdè ſenſili, & exteriore craſſa, atque carnoſa.

In Fæminis *vaſa Spermatica* in hoc a virilibus differunt, quod breviora ſunt, & minora, ſerpentinoque ductu teſtes accedant, varios itidem ramulos tubis uterinis, ipſique utero communicent.

Teſtes molliores hic ad latera uteri collocati, ſemen elaborandi virtute pollentes: *Tunica* unica tantum teguntur, eaque propriâ.

Paraſtatæ hic nullæ. Veſiculis interius teſtes plurimis ſcatent, quæ & ſemen continent, &

& utero, mediantibus tubis, exhibent.

Tubæ hæ utero omni parte cohærent, teſtibus tantum aliqua.

Cavitatem habent, ex duplici tunicâ conſtantes, veſiculaſque etiam aliquas continent, in quibus ſemen ulterius perfici multi volunt.

Uterus ſeminis, fœtuſque receptaculum, in medio Hypogaſtrii ſitum ſuum habet in Pelvi, inter inteſtinum rectum, & veſicam urinariam.

Tunicas poſſidet duas validas, craſſaſque, quarum prima a Peritonæo, altera propria, & utraque fibras plurimas carneas.

Dividitur commodè in Fundum, orificium, & cervicem.

Fundum globoſa uteri pars, Ligamenta quatuor accepit: ſuperiora duo *Latæ* ſunt, & membranoſa, oſſi Ilium connexa; inferiora duo rotunda

ſunt

sunt rubicunda, & ad Clitoridem pervia, unde instar pedis Anserini per femoris anteriora se diffundunt, cavitate omni privata.

Orificium uteri arctè se constringens suoque tempore valdè iterùm dilatabile, tuberculo præditum est inferiore parte, foraminulisque variis.

Cervix, sive *Collum uteri* penis receptioni dicatus, rugosus intus, & fere longitudinem octo digitorum transversorum habens. Dissecanti primo occurrit *Meatus urinarius*, brevis rectusque, hinc meatui huic adsita *Clitoris* peni virili mollitie duritieve quodammodo similis.

Huic adjacet Hymen, in sui medio, ad transitum urinæ & menstrui sanguinis perforatum, Carunculæ huic quatuor Myrtiformes, quibus succedunt Alæ seu Nymphæ defendentes & Labia Pilosa.

Figura A.

E
F
B
D
H
C
A
h
m
L
m
L
m
I
I
K
N
L
N
L
P
P
O

BIBLIOTHECA BODLEIANA

A *Ventriculus.*
B *Æsophagus.*
C *Ventriculi* pars sinistra & amplior.
D Orificium superius *Ventriculi.*
E *Nervus dextro-externus* sextæ paris orificium circuens.
F *Nervus sinistro-externus* ejusdem Paris.
G *Vasa Gastrica* ad fundum Ventriculi sita.
H *Ventriculi* Orificium inferius.
h Insertio *ductus Biliarii* in *Duodenum.*
i Insertio *Ductus Pancreatici* in *Duodenum.*
lll *Jejunum* & *Ileum* & *Vasa* insuper serpentia.
K *Cæcum.*
L L L L *Colon.*
M *Valvula* in initio *Coli* aperta.
m m m *Ligamenta* cellulas *Coli* connectentia.
N N *Rectum.*
O *Sphincter Ani.*
p p *Levatores Ani.*

CAP.

CAP. IV.

De partibus Thoracis externis.

MEdia corporis Regio, cujus pars ſuprema *humerus*, anterior *Pectus*, Poſterior *Dorſum* appellatur, ſub integumentis propriis atque communibus Muſculos accepit communes proprioſque.

Communes ſunt, qui imi ventris ſunt, & ſcapulæ, illos ſupra exhibuimus, hi quatuor ſunt.

1. Serratus anticus minor ſive antrorſum ducens Scapulam.

2. Trapezius ſive Cucullaris, ſurſum & oblique retrorſum movens.

3. Rhomboides, ſive oblique deorſum movens.

4. Levator.

Pro-

Proprii Thoracis Musculi sunt duodecim.

1. *Subclavius*, sive Extensor.

2. *Serratus anticus Major*, sive costas attollens inferior.

3. *Serratus posticus superior*, sive costas attollens superior.

4. *Serratus posticus inferior*, sive costas deprimens.

5. *Sacrolumbus*, sive Thoracis constrictor.

6. *Triangularis*, Thoracis constrictor alter.

Musculis his decumbunt *Mammæ* copiosa in utroque sexu pinguedine, multis quoque glandulis in muliebri præditæ.

Dorsum & *Lumbi* (quorum musculos hoc loco referre cogimur) quatuor paria musculorum exhibent.

1. *Quadratum*, sive vertebrarum flexorem.

2. *Longissimum*, sive extensorem vertebrarum primum.

3. *Sacrum*, sive extensorem secundum.

4. *Semi-*

4. *Semiſpinatum*, ſive Dorſi elevatorem.

Poſt Muſculos ſequuntur Claviculæ, Scapulæ, Sternum, Coſtæ, & Vertebræ; de Venis enim, Arteriis & Nervis poſtea dicturi ſumus.

Claviculæ, Spongioſa officula, ſuperiori proceſſui ſcapulæ junguntur. Ligamentorum firmorum, cartilaginumque mobilium interventa.

Scapula, os latum & tenue, coſtis externis incumbit, ligamentis duabus, proceſſibus tribus, & quinque appendicibus, præditum.

Os Sternum, tineis ſeptem vel octo in infantibus, tribus vel quatuor in adultis diſtinctum, ſpongioſum valde eſt, in extremo cartilagine enſiformi ſive mucronata præditum.

Coſtæ in utroque ſexu ſunt duodecem, earum ſeptem ſuperiores quæ verè tuberculo duplici junguntur vertebris; carti-

cartilagine vero ossi sterno, durae sunt, rotundaeque. Inferiores quinque quae spuriae minores sunt, molliores, breviores-que, cartilaginibus circa os sternum gaudentes, minime id tangentibus.

Has inter costas utroque in latere Musculi reperiuntur, intercostales dicti, interni undecim & totidem externi, adeoque in universum quadraginta quatuor. Fibrae hic decussatim collocantur.

In sinu cujusvis costae, inferiori ejus parte insculpto, vena, arteria & nervus residunt, ad medium musculorum dictorum se extendentes.

Vertebrae dorsi plerumque duodecem numerantur, nihilque singularis considerationis habent.

CAP. V.

De Thoracis partibus internis.

NUnc *Pectus* aperiendum, ut vitæ fontem ſpectare liceat, quem veritas cœleſtis in ſanguine conſtare affirmat. Quare igitur cordi præcipua ſanguificatio non attribuatur, cum paſſim & ab unoquoque vitæ principium nuncupetur?

Interius *Pleura* pectus inveſtitur, quæ deinde duplicatur, & tandem quadruplicatur, ſe a vertebris uſque ad ſternum extendens, & tum *Mediaſtinum* dicitur, quia tanquam ſeptum Pulmones dividit.

Mediaſtino circa jugulum cohæret corpus glanduloſum quod *Thymas* appellatur.

Pulmoni aerem trahenti, & cor refrigeranti *Trachea*, ſive

Aſpera

Aſpera Arteria conceſſa eſt, ut hoc modo infletur. Hæc *Gulæ* incumbit, & ex cartilagineis annulis, duplicique Membrana conſtat.

Exterior harum Membranarum quæ ſubtilior, a pleura, provenit, interior quæ craſſior, a dura meninge originem habet.

Cartilagines annulares ligamentis conjunguntur, & minimè perfectum circulum conſtituunt quarta ſui parte ubi gulam reſpiciunt deſtitutæ.

Ramos trachea hæc per totum diſtribuit Pulmonem, qui hic robuſti quidem ſatis, at minime cartilaginei ſunt.

Pulmo ipſa tunicâ tenui porosaque tectus, ſubſtantia conſtat molli, rubicunda, & ſpongioſa.

Anteriùs ſterno, poſterius vertebris cohæret præcipuam pectoris partem replens.

Vaſa varia minorave accepit, de quibus ſuo loco dicturi ſumus. *Figura.*

Cor, sanguinis officina, vitæ fons atque principium, etiam ipsis sacris literis testibus capsulæ cuidam includitur, quem *Pericardium* Anatomici vocant, Membranâ constat duplici, exterior a Mediastino, & interior a vasis cordis originem trahit. Liquorem continet aqueum, limpidum, nullius acrimoniæ participem, ex Lymphæ ductibus eum adferri non amplius dubitandum.

Cor ipsum, substantiâ constat carneâ, firma, densaque quæ *tunica* propria investita, fibrisque omnis generis prædita, musculi instar continuo movetur.

Locum in medio habet pectoris, at mucro ad lævam aliquomodo declinat

Piniformis figuræ est, parte superiore. *Auriculas* duas habens, quæ semper corde ipso prius pulsant.

In

In adultis auricula dextra major est sinistrâ, contra sit in Infantibus. In sanguinis expulsione, auricula æque ac cor constringuntur, & dilatantur quoties sanguinem excipiunt. Et hæc dilatatio & constrictio pulsum efficiunt.

Ad sanguinis concoctionem, receptionem, et expressionem duæ ipsi cavitates, & vasa quatuor concessa sunt

Cavitates carneo septo distinguuntur, in quo viam nullam, sanguinis motui ex ventriculo dextro in sinistram dicatam, hactenus invenire potui, licet Anatomicorum nonnulli eam dari multis adstruere conentur.

In dextram sinistrãq; cavitatè cavitates hæ dividuntur, *dextra* quæ major *venam cavam* excipit, & *arteriam pulmonalem* sive *venam arteriosam*. *Sinistra* quæ minor *Arteriam* recipit *Aortam* sive *magnam* & *venam pulmona-*

lem ſive *Arteriam venoſam.*

De hiſce vaſis ſimiliter & de nervis, ductuque chylifero, ſive vena lactea Thoracica, libro primo egimus.

Succumbit Tracheæ, in Thoracis cavo, *Oſophagus*, ſive *Gula* vertebris incumbens.

Circa vertebram quintam dorſi parùm in latus dextrum inclinat, quo cedat aortæ arteriæ uſque ad vertebram undecimam, hinc recto ductu diaphragma tranſit in ventrem imum.

Duplici Membranâ componitur: exterior carnoſa fibras agnoſcit rectas rotundaſque, interior tranſverſas & obliquas, varii addunt tertiam a Peritonæo, & optimè meo quidem judicio.

Diaphragma flabelli inſtar ſe habens, reſpirationique inſerviens, Thoracem ab abdomine ſeparat, coſtis nothis omnibus, oſſiſque ſterni mucronati cartilagini

lagini adhæret, circa vertebras processus duos carneos ad inferiora ablegans.

Circumferentia ejus carnea est, musculi instar varie mobilis, at centrum membranosum magis, valdeque sensile.

Foramina tria accipit, primum in medio, per quod Vena Cava transit, 2. in latere sinistro per quod Guia cum Nervis adjacentibus. 3. Circa vertebras per quod Arteria Aorta cum vena Azygo.

A claviculis ad pedem usque plures accepit Nervos quam pars ulla corporis, qui non solum ex cerebro a pari vago, sed etiam ex spinali Medullâ, & vertebra cervicis quarta & quinta originem ducunt. De aliis vasis jam supra egimus.

CAP.

CAP. VI.

De Collo.

COllum ſub cuticula, cute & Membranâ carnoſa, Membrana itidem communi & propriâ muſculorum, muſculos utroque in latere quatuor habet, ex his

Longus &
Scalenus flectant,
Tranſverſalis &
Spinatus retrorſum & ad latus ducunt.

Venæ reperiuntur quinque *Cervicalis, Muſcula ſuperior & inferior, Jugularis interna & externa.*

Arteriæ totidem, *Cirvicalis, muſcula ſuperior & inferior, Carotis interna & externa.*

Nervi ex pari vago & ſpinali medullâ originem habent.

Ante-

Anteriùs *glandulis* gaudet variis, quæ in mulieribus majores sunt quam in viris.

Succumbit *Larynx*, soni organum, quinque ex Cartilaginibus compositum, quæ sunt.

1. *Thyroides*, sive scutiformis.
2. *Cricoides*, sive annularis.
3. *Aretynoides*, sive Guttalis.
4. *Glottis*.
5. *Epiglottis*.

Movetur sex Musculorum paribus.

1. *Hyothyroidæi*, sive attollentes.
2. *Bronchii*, sive deprimentes.
3. *Cricothyroidæi antici*, dilatantes.
4. *Cricothyroidæi laterales*, constringentes.
5. *Thyro-arythenoidæi*, aperientes.
6. *Arythenoidæi*, sive sphincteres.

Post hæc *Amygdalæ* sive Paristhmia occurrunt aliis Tonsillæ, hinc *Pharynx* cui septem Musculi competunt, quorum ope cibus & potus deglutiuntur.

1, 2.

1, 2. *Sphenopharyngæi*, Pharyngem elevantes.

3, 4. *Cephalopharyngæi*, introrsum moventes.

5, 6. *Stylopharyngæ*, dilatantes.

7. *Constrictor*, sive *Sphincter* est Gulæ.

Postica colli occupant vertebræ septem, quarum quædam processus habent perforatos, quo vasis sanguineis via in cerebrum concedatur.

CAP. VII.

De partibus Capitis externis.

CAput tanquam supremus suiipsius & sexcentorum aliorum corporum Dominus, seipsum & alia corpora optimè gubernat, cum optimo sanitatis statu constitutum & sui officii

ficii cognitione sit instructum: Sed miserrima illi fruuntur conditione & alii cum ipsis, quibus arte compositum caput deest, qui nec ejus substantiam, nec figuram inquirunt neque cognoscunt.

Figura ipsi Ovalis est. Pars superior *vertex*, anterior *frons*, postica *occiput*, lateralis *tempora*, reliqua *facies* dicitur: & partibus constat sequentibus.

Primo *cutis* apparet, quæ variis in locis Pilis, ubique vero cuticula prædita est.

Deinde sequuntur *Membrana Carnosa* & *Pericranium*, originem hoc debet suam duræ Meningi, per suturas Cranii exeunti, licque primo Cranium, & porro ossa reliqua omnia investienti.

Anatomici paulo curiosiores demonstrant Pericranium hoc esse duplex: exterius, quod antiquum retinet nomen, interius, quod *Periostium* appellatur.

Ossa

Ossa quæ hisce membris subjacent primo in Cranium & Maxillas, & deinde alias partes dividemus.

Cranium octo componitur ossibus, futuris propriis atque communibus conjunctis.

Suturæ propriæ veræ sunt aut spuriæ.

Veræ sunt tres.

1. *Coronalis.*
2. *Sagittalis.*
3. *Lamboidæa.*

Spuriæ sunt ossium temporalium futuræ duæ squamosæ.

Communes tres itidem sunt.

1. *Frontalis.*
2. *Sphænodea.*
3. *Ethmoidea.*

Ossa ipsa, foraminibus, cavitatibusque variis, ad transitum aeris, venarum, Arteriarum, & Nervorum, prædita, octo sunt.

1. *Os frontis*, in pueris semper, in adultis aliquando, usque ad radicem narium ope futuræ sagittalis divisum est.

2, 3.

2, 3. *Ossa sincipitis*, sive Pregmatis.

4, 5. *Ossa* Temporum, sive Petrosa.

6. *Os Lambdoideum.*

7. *Os Sphænoides*, sive *Cuneiforme.*

8. *Os Ethmoides*, sive *Cribrosum.*

Musculi frontis duo attollentes, occipitis duo deprimentes.

Maxillæ harmoniis variis ita conjunctis ossibus constant ut in adultis corporibus unicum quasi os repræsentant, superior una est, altera inferior.

Superior ex undecim ossibus componitur, ex quibus in utroque latere quinque sunt, undecimum impar est in medio collocatum.

1, 2. *Os Zygomaticum*, orbitæ oculi inferiorem partem, & Apophysi sua os jugale sive Zygoma constituit.

3, 4. *Os Lachrymale*, oculi canthum internum efficiens, foramine ad nares descendente, præditum est.

5, 6. *Os Maxillare*, ossium omnium maximum est, maxillam constituentium.

7, 8. *Os Nasi*, quinque cartilaginibus unitis in fine gaudet.

9, 10. *Os Palati.*

11. *Vomer.* Os speciale supra palatum nasi interstitium sustentans, per Harmoniam eidem conjungitur.

Maxilla superior non nisi cum capite movetur, musculis ideoque propriis nequaquam indigebat.

Maxilla inferior (quæ plerumque annum octavum usque in anteriori parte divisa) duos habet processus, & in iis mediocrem cavitatem venis, arteriis, nervis & ipsi maxillæ & dentibus dicatam, nam hinc nutrimentum, & dentes sensum accipiunt. Nervorum ra-

mi

mi circa mentum per foramen exiguum maxillæ iterum egrediuntur, & Labiorum muſculos intrant.

Movetur ſex muſculorum paribus.

1. *Plerygoideus internus* attollens.

2. *Diagaſtricus* attollens.

3. *Latus* deprimens.

4. *Plerygoideus externus* ad anteriora ducens.

5. *Maſſeter.*

6. *Muſculus temporalis*, qui hoc ſibi peculiare habet quod Pericranio inveſtitur.

Utraque maxilla armis neceſſariis inſtructa eſt quæ *dentes* appellantur.

In viris plerunque *triginta duo*, & in fœminis *viginti octo* conſpiciuntur.

Quatuor *Primores*, ſive *Inciſores.*

Duo *canini*, ſive *Oculares.*

Reliqui omnes *maxillares*, ſive *Molares* dicuntur.

Post annum 30, 40. aut 80. cum dolore sæpe duo adhuc in extremo maxillæ prodeunt, quos quidam *Morum* ac *Sapientiæ* dentes nuncupant, alii *Serotinos*.

Antequam ad Musculos reliquos capitis progrediamur, partes nonnullas, quarum nec dum facta est mentio describere necessarium ducimus, sunt hæ, *Oculus*, *Aures*, *Nasus*, *Os*.

Oculus quem palpebræ, integumenta nempe membranosa, anterius cartilaginea atque pilosa ab externis injuriis defendunt, duplici gaudent *Cantho* sive *angulo*.

In quovis angulo *Glandula* residet: harum quæ est in Cantho minori externo, insignis satis est, dura & alba: quæ in Cantho majori interno, minor est, mollis, rubra, *punctumque Lachrymale* tegens.

Tunicæ quatuor, humores tres continent.

Una

Una ipsi cum palpebris communis est, a Pericranio producta, dicitur que *Conjunctiva* sive *adnata.*

Reliquæ tres propriæ sunt, enumeranturque.

1. *Cornea*, a dura Meninge proveniens.

2. *Uvea*, ex tenui. Hæc modo se dilatans, modo se iterum contrahens, pupillam constituit, oram exhibens variegatam quæ Iris dici solet.

3. *Retina*, ex cerebro ipso, vel potius nervo optico; hæc ulteriùs procedens in *araneam* mutatur.

Tribus hisce quarta addi potest *Vitrea*, a multis malè omissa.

Humores oculi sunt.

1. Aqueus.
2. Crystallinus.
3. Vitreus.

Secundum Nervorum par Spiritus ipsi adfert ad visum, tertium vero ad motum.

Arteriæ Carotidis internæ & externæ rami sanguinem adducunt nutritium: deinde sanguinem superfluum venæ jugulares internæ externæque reducunt.

Reliquum oculi adeps & Musculi constituunt.

Adeps ad calefactionem, humectationem, meliorem que motum conferens, hic copiosus valdè, vasis musculisque passim interjectus.

Musculos *Palpebra* quatuor accepit.

Unum rectum.

Tres orbiculares.

Oculus ipse sex, quorum quatuor recti sunt.

1. *Attollens*, sive *superbus*.
2. *Deprimens*, sive *humilis*.
3. *Adducens*, sive bibitorius, aut Lectorius.
4. *Abducens*, sive indignatorius

Duo obliqui, qui amatorii dicuntur, horum.

1. *Obli-*

1. *Obliquus* internus, sive Trochlearis, quia Trochleam transit.

2. *Obliquus externus.*

Auris externa Cartilaginosa ossi petroso est unita.

Membrana gaudet admodum sensili; à parte etiam posticâ.

Glandulis nonnullis, ad quas humores superfluos caput ablegat.

Vasa accipit ab externâ internave jugulari atque carotide.

Nervos à cervicis nervorum secundo pari, nervorum item cerebri pari sexto.

Pinguedo hic fere nulla, exiguum quid inferiùs in Lobo conspicitur.

Musculos quatuor accepit, quorum tres priores ipsi cum aliis partibus communes sunt, quartus proprius est.

1. *Antrorsum ducens.*

2. *Retrorsum ducens.*

3. *Quadratus, deorsum trahens.*

4. *Tripar-*

4. *Tripartitus attollens.*

Auris interna ad sonum *Cavitates* accepit quatuor, ad tutelam vero & firmitatem ossicula totidem.

Cavitates sunt.

1. *Meatus auditorius*, cujus extremum claudit Membrana tenuis, valida & fortis, quæ *Tympanum* aut Membrana Tympani dicitur.

2. *Tympanum.*

3. *Labyrinthus.*

4. *Cochlea.*

Ossicula, ejusdem magnitudinis in infantibus cujus in adultis: Sunt.

1. *Malleus.*

2. *Incus.*

3. Stapes.

4. Os Orbiculare.

Musculi hic duo: *Unus* meatui auditorio connectitur, *alter* malleolo.

Nasus cuticula, cute, musculis, & *Periostio* tectus, *foramina* accipit duo, septo cartilagineo separata.

parata. Unumquodque horum iterùm in illud, quod ad os ethmoides ascendit, & aliud quod supra palatum ad oris posteriora se extendit, dividitur.

Latera ejus *Alæ* vocantur sive *Pinnæ*, pars carnea inferior, carnea columna appellatur.

Membrana interius investiuntur tenui, valde sensili, a dura Meninge originem accipiente; & hanc Nasus, Os, Palatum, Lingua, Larynx, Gula, ipseque ventriculus communem habent.

Ossium cum componentium varia & spongiosa sunt, *carunculis* repleta, ne præter voluntatem *Mucus* exeat.

Arteriæ a Carotiditibus nutrimentum ipsi præbent; venæ a jugularibus sanguinem non satis coctum revehunt. *Nervi* a pari primo secundum nostrum ordinem inserviunt Odoratui, ut illi qui a Pari quinto tactui.

Pinguedo

Pinguedo hic nulla conſpicitur: ejus oſſa jam ſupra enumeravimus: hoſce habet muſculos.

1, 2. *Deprimentes.*

3, 4. *Dilatantes.*

5, 6. *Conſtringentes.*

Naſutis duo alii accedunt, quos *aperientes* dicimus.

Os, tanquam Janua Aeris, loquelæ, & nutrimenti, Labia duo accepit; Laterales ejus partes *Genæ* vocantur, ubi pars inferior *mentum* dicitur.

Labia duos acceperunt Muſculos, maxillæ communes.

1. *Quadratum* ſive retrorſum trahentem. In aliis fit hæc actio Zygomatico.

2. *Buccinatorem.*

Superiori Labio duo Muſculi dati ſunt *proprii.*

1. *Surſum trahens.*

2. *Deorſum movens.*

Inferiori unicus tantum Datus *deorſum trahens.*

Labio utrique communes ſunt. 1. *Obli-*

1. *Oblique sursum trahens.*
2. *Oblique deorsum trahens.*
3. *Sphincter*, oris constrictor, sive orbicularis.

Oris partes interiores sunt *Dentes*, *Gingiva*, *Palatum*, *Uvula*, *Lingua*, & *Os hyoides*.

De *dentibus* egimus.

Gingiva nil habet considerationè dignum.

Palatum membranâ constat sensili, ventriculo communi, a durâ meninge originem ducens.

Uvula teres corpusculum, ligamentis gaudet duobus, totidemque musculis, at valdè subtilibus.

Lingua (tanquam gladius honorem nostrum benè aut malè scindens, prout a puris aut impuris spiritibus movetur) posteriùs Laryngi, ossi Hyoidi, faucibus, & tonsillis cohæret, anteriùs membranoso cuidam, at robusto corpori, cujus extremum *frænum Linguæ* constituit. Fræ-

Fræno utrinque adjacet *Glandula, ranina* dicta, a vasis vicinis.

Venas assumit duas *Raninas* dictas a jugularibus, *Arterias* duas a temporalibus, *Nervos* duos magnos a pari septimo, varios itidem minores a pari quarto & quinto.

Pinguedine caret.

Musculi ipsius sunt.

1. Geniogloſſus, sive antrorsum ducens.

2. Styloglossus sive sursum trahens.

3. *Myloglossus*, sive oblique sursum trahens.

4. *Basigloſſus*, sive recta introrsum ducens.

5. *Ceratogloſſus*, sive deorsum trahens.

Os Hyoides, musculorum ligamentorumque ope processui styloideo ossium temporum, cartilaginique scutiformi Laryngis, connexum, ex quinque ossibus unitis componitur. Horum medium, quod maximum,

Basis

Basis Linguæ dictum, cartilagineas productiones duas habet, sepiùs in Os degenerantes.

Musculis præditum utroque latere quatuor.

1. *Geniohyoides*, sive recta sursum elevans.

2. *Sternohyoides*, sive recta deorsum ducens.

3. Styloceratohyoides, sive obliquè sursum ducens.

4. Coracohyoides, sive obliquè deorsum ducens.

Partes hæ omnes externæ capitis sunt, quod vel solum moventur musculis propriis, vel una cum collo musculis cervicis. De his infra agetur, proprii sunt.

1. *Flectens*, annexus.

2. *Splenicus*, abnuens, caput concutiens.

3. *Complexus*, splenii socius.

4, 5. *Obliqui*, oblique retrorsum trahentes.

6, 7. *Recti*, recta retrorsum trahentes.

CAP. VIII.

De partibus Capiti internis.

NUnc ad Palladis arcem pergimus, sed antequam eam intremus & cerebrum introspiciamus, Cortinæ duæ sunt removendæ, *Meninx*, *Crassa* & *tenuis*.

Dura mater exteriùs asperior quam ab interiori parte, cerebrum laxè admodum ambit, ne motus ejus arbitrarius impediatur; idem in partem dextram & siniſtram non tantum distinguens duplicaturæ alicujus ope, quæ *falx* dicitur, imo & a cerebello ipso separans.

In Falce hac *Sinus* semper inveniuntur quatuor, quandoque septem, in quos Arteriæ carotidis rami plurimi inferuntur, jugu-

jugularibus post conjungendi.

Hi sinus venarum usum & substantiam habent; adeo ut non incommodè intervenas recenseri possunt.

Pia mater sensilis magis, pluribusque arteriis prædita, quam crassa, non solùm totum cerebrum investit sed etiam ubique anfractus ejus intrat qui hac de causa etiam facilius separari possunt.

Dividimus cerebrum in tres partes, quæ sunt, 1. Cerebrum ipsum. 2. Spinalis Medulla. 3. Cerebellum.

Cerebrum coloris cinerei, mollioriſque substantiæ medullâ (quæ & albidior & consistens magis) unde etiam corticis nomine venire solet ab *Arteria* carotide ramulos plurimos accipit. *Nervis* adeo que & sensu destitutum.

Gyris sive anfractibus variis gaudet, & satis profundè hi sese dimittunt, imprimis in par-

te anteriore occurrunt, ubi *Fissura magna* cerebrum exterius usque ad medullam dividit.

Medulla nervorum omnium mater, intra Cranium *Medulla Cerebri* extra illud *Medulla spinalis* appellatur.

Cerebellum ex albo cinereum est, *arteriasque* excipit cervicalem atque carotidem, pauciores tamen hinc adsunt rami, quam in cerebro, utpote eo longe minus.

Gyris nullis præditum est, at ex laminis quasi plurimis sibi incumbentibus conflatur, quæ si transversè resecentur, instar arboris apparet.

Hisce sic consideratis, partem aliquam cerebri Anatomicus cultro auferat, & illico in conspectum venient *Corpus callosum*, ipsique connexus Fornix.

Hisce lateraliter subjacent *ventriculi duo* magni, soleæque equinæ figurâ similes, quos septum lucidum in dextrum & sinistrum,

nistrum, vel primum & secundum distinguit.

Continetur illis Rete mirabile, sive Plexus Choroides, multis constans glandulis exiguis, nec nisi ex arteriæ temporalis ramulis, retis in modum applicatis, compositus.

In parte anteriore ventriculi hi uniuntur, *tertiumque* constituunt.

In hoc ventriculo tertio *Meatus* duo occurrunt, prior eorum ad *infundibulum*, & *glandulam pituitariam* excurrit, alter ad *Ventriculum quartum* cerebello contentum. Supra hunc prominentiæ quatuor notantur, quæ *Testes* & *Nates* vocantur, iisque adhæret *Glandula Pinealis*, quæ a nonnullis sedes animæ malè vocatur. Extra ventriculos enim eam residere, minime vero in illis jam dudùm Cl. Silvius demonstravit cui etiam propterea non nisi pro Glandulo habita, idque eo ma-

gis quod non raro calculos duos, aut tres, imo quatuor aliquando & ipse & ego in eâ invenimus.

Corporibus his ablatis Nervorum paria octo se offerunt, de quibus supra egimus, quibus parte anteriore adjacet Rete mirabile Galeni, quod arteriarum cervicalium atque carotidum plexus est.

Post hæc Cerebellum occurrit, duplici globo simile, in quorum medio *Processus vermiformis*, & *Pons varolii* cui succumbit ventriculus quartus.

Ultimo *Spinalis Medulla* se exhibet, in sui principio in partes duas divisa, *Calamo scriptorio* haud absimili, hæc ad Dorsum descendens ramos suos toti corpori impertit.

Lector

Fig: 1.

Fig. 2.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Lector Benevole,

HAs duas figuras proxime ſequentes aliiſq; minutioribus annexis de Externis & Internis Cerebri partibus ex celeberrimo noſtro Williſio exceptas, apprime utiles judicavi, quia Intellectus & ipſius Animæ ſedes, ſummam partium varietatem continent, & hoc loco affixas curavi, ut ſubjecti dignitatis gratiâ, melius apprehendantur, & ſepius ſepiuſque memoriæ inculcentur.

Figura Prima.

Figu-

Figura Prima.

A A *Limbus cerebri, cerebello contiguus.*

B B *Margo corporis calloſi, Glandulæ Pinealis contigua.*

C *Fornix.*

D D *Brachia, crura Medullæ oblongatæ amplectentia.*

E E *Crura Medullæ oblongatæ, cujus extremitates corpora ſtriata dicuntur.*

F *Glandula Pinealis.*

G G *Protuberantiæ orbiculares Nates dictæ.*

H H *Protuberantiæ Minores, Teſtes vocatæ.*

I I *Proceſſus Medullini, oblique ex Teſtibus ad Cerebrum aſcendentes.*

K *Junctura proceſſuum mediante alio tranſverſo.*

L *Nervorum Patheticorum Ortus, ex junctiuris proceſſuum antedictorum.*

M M *Pars Medullæ oblongatæ.*

N *Foramen cavitatis orbicularibus*

ribus Protuberantiis subjacens.

O O *Annularis protuberantiæ pars.*

P P *Superficies cerebelli exterior superiorque.*

Figura Secunda.

Oculum duabus situationibus repræsentans.

b a b *Tunica Cornea.*

e e *Tunica Uvea cujus Foramen pupilla dicitur.*

d *Humor crystallinus in situ.*

f f *Tunica Choroides.*

g *Nervi Optici portio.*

h *Fibræ minutæ ad extremitatem nervi abscissæ.*

i *Centrum vitrei humoris & Retinæ.*

1, 2, 3, 4, 5, &c. *Capillamenta Optici Nervi.*

Figura Secunda.

Basim Cerebri ex Cranio exceptam repræsentat.

A A A A *Lobæ Cerebri anteriores & posteriores.*

B B *Cerebellum.*

C C *Medulla oblongata.*

D D *Nervi Olfactorii vel Par primum.*

E E *Nervi Optici, vel Par secundum.*

F F *Nervi Oculorum Motricis, vel Par tertium.*

G G *Nervi Oculorum pathetici, vel Par quartum.*

H H *Par quintum.*

I I *Par sextum.*

K K k k *Auditus Nervi, Par septimum.*

L L l l l, &c. *Par vagum, vel octavum, ex variis Fibris consistens.*

M M *Nervi Spinales.*

N N *Nonum, vel Par intercostale.*

O O *Par decimum deorsum tendens.*

Pag. 140

Fig. 1

Fig. 5

Fig. 2

Fig. 3

Fig. 4

P P *Truncus Carotydis Arteriæ abſciſſus.*

Q Q *Ramus inter Lobas Cerebri tranſiens.*

R *Rami Carotydis anteriores.*

S *Rami Carotydis poſteriores.*

T T T *Arteriæ vertebrates, cum ramis tribus aſcendentibus.*

V *Arteriarum vertebratium rami.*

W W *Vertebrates & Carotydes Arteriæ unitæ.*

X *Infundibulum.*

Y Y *Glandes Infundibulo poſtpoſitæ.*

Figura Secunda.

Incum & Stapem in ſitu exhibet.

A *Inci pars craſſa.*

B *Ramus directus.*

C *Ramus longus.*

D *Stapis Caput.*

E *Muſculus Capiti Stapis inſertus.*

Figura

Figura Tertia.

Malleum, (Os tertium in Cavitate) antrorsim cum Musculis in Situ exhibet.

A *Mallæi Caput.*
B *Excipulum.*
C *Mallei Musculus externus.*
D *Insertio ejus.*
E *Musculus internus.*
F *Locus Insertionis.*
1 *Processus Mallei magnus prospectu directo.*
2 *Processus exilis, cui externus Musculus inseritur.*
3, 4. *Interni Musculi textura in Medio aperta, ut Musculus melius videatur.*

Figura Quarta.

Partem vestibuli, sive Labyrinthi Introitum (secundum Auris cavitatem) cum canalibus tribus semicircularibus.

A *Pars vestibuli inferior.*

B *Canalis ſuperior.*
C *Inferior.*
D *Medius.*
I *Introitus ſemicircularis canalis ſuperior.*
2 *Canalis Medii Introitus primus.*
3 *Canalis Inferioris Introitus.*
4 *Canalis Medii Introitus alius.*
5 *Canalis ſuperioris inferioriſque introitus communis.*
6 *Foramen primum uno Nervi auditorii ramo meatum prebens.*
7 *Foramen ſecundum alio ramo ejuſdem Nervi meatum dans.*

Figura Quinta.

Cochleam exhibet.

CAP. IX.

De Manu.

MAnûs nomine etiam *Brachium* comprehendimus, cujus *integumenta* communia e-

que ac propria, & item ejus vasa jam satis sunt descripta.

In tres partes vulgo dividitur.

1. *Humerum.*

2. *Cubitum.*

3. *Manum proprie dictam.*

Humerus sive *Brachium* unico osse constat, at novem Musculis.

Musculi sunt.

1, 2. Attollentes duo. *Deltoides*, & *Supraspinatus.*

3, 4. Deprimentes duo, *Anniscalpor*, sive *latissimus*, & *rotundus major.*

5, 6. Antrorsum ducentes duo, *Pectoralis* & *perforatus*, sive *coracoidæus*

7,8,9. Retrorsū moventes tres, *Infraspinatus*, *Rotundus minor*, & *immersus*, sive *Subscapularius.*

Tribus hisce ultimis simul agentibus brachium quasi circumducitur, & oblique extrorsum attollitur.

Os magnum est longumque. Caput ipsius sive *extremitas superior* cartilagine, ligamento mem-

membranoſo, tendinibuſque quatuor, inveſtitur: ſinu quoque ſingulari præditum, in quo Muſculi Tricipitis tendo recumbit.

Extremitas inferior Trochleæ ſimilis eſt, quæ cubitum inſigniter introrſum incurvari permittit, ſed contra non niſi ad lineam rectam extendi.

☞ *Cubitus* duobus conſtat oſſibus, quæ a muſculis ſpecialibus ſpeciatim moventur, quos hic licet extra ordinem exhibere cogimur.

Os inferius, quod majus longiuſque altero *Ulna* dicitur.

In externo ſuperiori proceſſus duo triangulares notantur, quos *Roſtra* ſive *Glandes* vocant.

Extremum inferius *Tuberculo* rotundo definit, cui *Proceſſus* acutus qui *Styloides* dicitur, adſtat.

Muſculis quatuor movetur, horum duo ſunt Flexores.

1 *Biceps.* 2 *Brachiæus.*

Duo Extenſores.

1. *Longus.* 2. *Bre-*

2 *Brevis.*

Os ſuperius, quod minus & breviùs Radius dicitur; Foſſe minus parte ſuperiore excipitur ab ulnâ, inferiore ulnam excipit, in medio parùm a ſe invicem diſtant, qui tamen locus *Ligamento* tenui repletur.

Muſculis itidem quatuor movetur, quorum duo Prænatores.

1 *Rotundus.*

2 *Quadratus.*

Duo Supinatores.

3 *Longior.*

4 *Brevior.*

Addunt his Muſculos duos alios, ſed rariſſime inveniuntur; & diverſimodè deſcribuntur.

Manus in ſpecie tres in partes dividitur, Carpum, Metacarpum & Digitos.

Carpus Muſculos habet quatuor.

Flexores duos, *Cubitæum* & *Radiæum internum.*

Extenſores duos *Cubitæum* & *Radiæum externum.* Hiſce

Hiſce ſubjecta ſunt *oſſicula* octo, innominata hactenùs, cartilaginea primis annis, molliſque, deinde duriora evadunt.

Ligamentis robuſtis coercentur & conjunguntur.

Metacarpus muſculos habet duos Palmares dictos, *longum* & *brevem*.

Oſſicula quatuor *ligamentorum* cartilaginoſarum ope Carpo connexa.

Digiti oſſiculis quindecim conſtant, quibus nomina certa necdum impoſita, & muſculis 14. Horum

2 Flexores ſunt, *ſublimis* & *profundus*.

2 Extenſores.

4 Adductores, *Lumbricales*.

6 Abductores ſive *Interoſſei* tres *externi*, & totidem *interni*.

Præter hos *Pollici*, *minimoque digito*, & *extenſor* ſingularis datus eſt.

Conſiderabilia inſuper in manu 1. *Armilla membranoſa*, quæ

Ligamentum est rotundum, tendines multiplices universæ manûs circulo quasi comprehendens, in varia alia facile divisibile.

2 *Vagina membranosa* quæ tendines manu contentos coercet.

3 *Fissura oblonga* cuivis tendini ad transitum tendinum tertium internodium moventium musculorum insculpta: Hæ Trochleæ vicem gerit.

4 *Ossa Sesamoidea.*

CAP. X.

De Pede.

PEs etiam in tres partes dividitur, in *Femur*, scil. *Crus*, & *Pedem extremum.*

Femoris Os unicum est, cujus motui *Musculi quatuordecim* inserviunt.

Flexores duo, *Psoas* & *Iliacus.* Er-

Extensores tres. *Glutæus major, medius, & Minimus.*

Adductores tres, Triceps.

Abductores sex. *Quadragemini, & obturatores duo.*

Adductoribus abductoribusque simul agentibus femur circumgyratur.

Femoris os omnium totius corporis maximum & longissimū est. Exteriùs protuberat, interius incurvatur, sicq; obliquè introrsū ad genua descendit.

Processus obtinet tres, in infantibus facilè separabiles.

Crus, duplici osse constat: horum quod maximum, interiora occupans, *Tibia* dicitur sive *Focile majus*, quod minus, exteriora spectans, *Fibila* sivè *Focile minus*, utrumque ossibus cubiti valdè simile. Distant parùm a se invicem, & Ligamento connexa sunt.

Motus perficitur ab undecem *Musculis* qui sunt.

Extensores quatuor: *Rectus, Curvus, vasti duo.* Flex-

Flexores quatuor. *Bicept, semimembranosus, seminervosus. Gracilis.*

Adductores duo, Longus & Popliteus.

Abductor unus. Fascialis.

Inter Femur & Crus, Patella reperitur, in infantibus Cartilagines, in senibus dura, firmaque, articulo exteriùs appositа.

Pes in tres partes dividitur, *Tarsum, Metatarsum* & *Digitos.*

Tarsus sex Musculis movetur.

Flexoribus duobus, *Tibiæo antico* & *Peronæo.*

Extensoribus quatuor, Bicipite, duobus Gemelliis, & Soleo quibus multi quintum addunt, *Tibiæum posticum.*

Horum extensorum tres tendinem exhibent valde robustum, qui Chorda Hippocratica dicitur.

Ossibus constat septem, quæ sunt.

1 *Talus*, sive *Astragalus.*

2 Calx, sive Os Calcis.

3 Os Naviculare, sive Cymbiforme.

4 Os Tessaræ, sive Cuboides.

5, 6, 7 Ossa tria Cuneiformia, sive Sphænoidea.

Metatarsus quinque ossibus constat.

Digitorum ossa 14 sunt, *Pollex* enim nisi internodia duo habet.

Metacarpus musculis nullis gaudet, excepto *plantari* qui palmari quodammodo similis est.

Digitorum *Musculi* 17 sunt.

Duo nempe *Flexores.*

Unus *Extensor* digitorum quatuor, quem in usum quadruplici tendine præditus est.

Quatuor *Adductores* sive *Lumbricales.*

Decem *Abductores* sive Interossei.

Pollici speciatim inserviunt.

Flexor unus.

Extensor unus.

Adductores duo.

Ab-

Abductor unus.

Hic æquè ac in Manu obſervanda ſunt *Oſſa Seſſamoidea*, in adultis ſemper digitorum internodiis adjecta, partim ut articulos firment, partim ut tenues defendant. In ſenibus ſemper, ſed nunquam in pueris, a decem uſque ad viginti numerantur.

CAP. XI.

De generatione, Pulſu, & Circulatione Sanguinis.

ORigo Sanguinis ex *Chylo* ducta eſt, hic ex Cibo ore recepto, & dentibus maſticato tranſit per *Oeſophagum* in Ventriculum, qui ſeipſum propriorum muſculorum ope ſubito conſtringit, ita ut Orificium ſuperius arctè clauditur, inferius

ferius vero paulatim apertus cibus ibi proprio motu & calore ventriculi, cum succo a Liene per ramum Cæliacum & Arterias splenicas misso concoquitur, & reductus in Albugineam materiam quæ Chylus vocatur.

Nunc igitur cibo hoc modo digesto fit statim porosus sive spongiosus, & gradatim transit ex ventriculo per Pylorum ad intestina, ubi Fibrarum ope tantum Chyli premitur quantum bene digesta reperitur.

Quando chylus *Pylorum* transit, intestina arctiora & gyrationibus plena inveniuntur, & tria numerantur, *viz.* Jejunum, Duodenum & Ileon, & hac ratione Chylus lentius progreditur, & ibi separatur *Chylus* propriè sic dictus, nam inibi haæ sunt venæ Lacteæ, quæ tenuiores & puriores partes exsugunt & Crassiores rejiciunt, quæ deinde in rectum transmissæ,

missæ, per *Anum* denuo propelluntur.

Venæ Lacteæ sunt vasa minutissima & tunica pellucida & tantum tenui induta, & copiosè per Mesenterium dispersa, ad Chylum deportandum appropriata Sunt. earum origo est ex intima intestinorū Membrana, & variis, & innumeris ramulis sæpenumero transversis & sese intrantibus directe ad Mesenterii glandes particulares transeunt ; & quando Chylus hic defertur, *primi generis* vocatur. 2. Ex his Glandulis novæ & Capitales exoriuntur, quæ jamdudum occurrentes, commune *Chyli* & *Lymphæ* receptaculū unà ingrediuntur. Huc transmisso *Secundi generis* numeratur. 3. Et denuo cum per omnes *glandes* transitum fecit, *tertii generis* dicitur.

Chylus, Lymphæ conjunctione, quadam lævitate dotatus, ex prædicto receptaculo unà egrediuntur

diuntur in venas siniſtras ſubclaviales, numero ſex vel ſeptem, veniuntque tandem per venam cavam recto Cordis ventriculo, ubi in ſanguinem convertuntur.

Sanguis nunc primo confectus ſtatim ad *Pulmones* properat per *Arteriam Pulmoniacam*, ut hoc modo purior tenuiorque evadat: et regreditur per *Venam* pulmonialem ad ſiniſtrum *Cordis* ventriculum ut melius adhuc & perfectius elaboretur. Exinde iterum ad Arterias magnas *Syſtole* & *Diaſtole* perpetuo ad omnes corporis partes pro perenni nutrimento totius Compaginis fluit. Ita ut primo motu.

1. *Cibus* dentibus maſticatus.
2. Tranſit per *Oeſophum*.
3. Ad *Ventriculum*.
4. Per *Pylorum*.
5. In *jejunum duodenum* & *Ileum*.
6. Fertur per *Venas Lacteas*.

7. Ad *Glandes Meſenteriacas.*

8. Et inde ad *Receptaculum commune.*

9. Ad *Venas ſubclaviales* ſiniſtras.

10. Exinde aſcendit per Venam cavam ad *rectum Cordis Ventriculum* ubi in *Sanguinem* convertitur.

Secundus Motus fit ex *Corde.*

1. Per *arterias Pulmoniales* accedit ad *Pulmones.*

2. Redit per *Venam Pulmonialem* ad *ſiniſtrum* Cordis *Ventriculum.*

3. Exinde per *Aortam*, ſive *magnam Arteriam* per totum corpus tranſmittitur.

Motus Cordis *Pulſus* vocatur. Hic *Diaſtole* vel dilatatione factus eſt, qua ſanginem in ventriculos ſuos recipit. Et ſyſtole ſive contractio quando expellit. *Syſtole* proprius Cordis eſt motus, & Diaſtole nihil aliud quam ceſſio vel relaxatio iſtius motûs, nam in Diaſtole Cordis

fibræ

fibræ ſunt relaxatæ, durante quo ſanguis ex *Auriculis* in ventriculos diſtillat, ideoque diſtenſum ſive turgidum ſtatim invenitur, *fibræque* rectæ & obliquæ ſeipſos comprimere incipientes cavitates ventriculorum obſtringunt, non tantum latera coarctando, ſed etiam conum Cordis ſuperiorem ſurſum trahendo, unde evenit contractio cavitatum, ita ut ſanguis magno impetu exinde expulſus eſt, cujus motus *Syſtole* vocatur.

Pulſus Arteriam originem ſuam ducunt ad impetum ſanguinis in illas ex Corde unaquaque Syſtole effuſas. Sed harum motuum ratio Authori omnium rerum relinquenda eſt.

Continua *Pulſus* reciprocatione ſanguis ex *Corde* in *Arterias* propulſus eſt, & ex vena cavâ datur ſupplementum; unde ſequitur quod hic *motus* ſit *circularis*.

laris. viz. Sanguis ex Corde in Arterias continuo expulsus, venis absorbitur capillariis, quæ per largiores ad Cavam reducunt, & sic deinde ad *Cor* revertitur.

LIB.

DE
Generatione, Conceptione, & Nutritione Fœtus in Utero, secundum Methodum recentiorum.

LIB. III.

Amice Lector,

NEceſſe eſt paucis verbis priuſquam rem ipſam aggrediamur de Generatione, Conceptione, & Nutritione *Fœtus* in *Utero*, veniam a te petere, ſi mentionem de quibuſdam partibus *Vaginæ* & *Uteri* hoc curtiori tractatu fecimus, etiamſi forſitan in Libro ſecundo jamdudum nominatæ ſunt; ad quod, non propriâ voluntate

nec licentiâ audaci à nobis capta, sed tui gratiâ, *viz.* Ante oculos tuos Methodo faciliori rem totam dilucidiùs exponere, coacti fumus.

CAP. I.

Vasa Spermatica *in Mulieribus sunt duplicia*, *Venæ & Arteriæ*.

Arteriæ duo sunt, quæ originem ducentes paulo infra emulgentes, descendunt ad *Testes* sic dictæ, & multo sunt breviores quam in Homine, quamvis multis gyrationibus dotatæ.

Venæ etiam duæ sunt, orientes ut in hominibus, dextra ex Trunco *Venæ Cavæ* paulo infra emulgentem, sinistra ex ipso emulgente, nec pluribus donatæ gyrationibus quam in Homi-

Hominibus, ideoque multo breviores.

Venæ & *Arteriæ* tunica communi ex Peritonæo vestiuntur, & prope *Ovarium* vel *Testes* in duos ramos dividuntur, quorum superior in ipsum *Ovarium* triplici radice implantatus est, inferior vero in tres ramulos subdivisus, quorum primus uteri fundum ambit, secundus ad *Tubam* & *Ligamentum rotundum*, tertius per uteri latera serpens in *Cervice* terminat, ubi in formam Retis unâ cum vasis Hypogastricis plectitur. Hoc meatu per primas menses *Menstrua* in gravidis interdum fluunt. Sed eodem tempore major copia ex *Hypogastricis* quam *Spermaticis* fluit.

Testes Fœmininæ multum a virilibus, nam situatione, magnitudine, figura, substantiâ, & etiam usu, differunt. Unicam tantum Membranam habent, exceptâ parte superiori, ubi in

aliam

aliam involvitur quæ ex *Peritonæo* ortum ducit. Hac remota, interna substantia subalbida apparet. *Testes Marium* ex vasis seminariis componuntur, quæ in filamenta longissima deduci possunt; Fæminarum autem ex plurimis Membranis fibrisque inter se laxe unitis constant, inter quos *Vesiculæ* quamplurimæ (*Hydatidum* instar) aquâ limpida repletæ apparent, quarum Membranas Nervi & vasa præparantia transeuntia, in his vesiculis planè sunt obliterata.

Liquor hisce vesiculis contentus, a Sectatoribus *Hippocratis* & Galeni *Semen* vocatur. Nuperiores autem Medici & Anatomistæ in contrarium summâ cum ratione judicant, illudque Mulieribus deesse affirmant. Doctissimus & ingeniosissimus *Harvæus* primus hujus Sententiæ assertor fuit. *De Ovi materia Exercit.* 34. *Quædam Mulie-*

res

res talem humorem quem Semen, dicimus & etiam sine Conceptionis impedimento non emittunt.

Cognovi quam plurimas sine tali Emissione satis fœcundas, plurimasque quæ emittendo majori fruebantur voluptate, nihilominus tamen minus fœcundæ exinde fuere. Dantur porro infinitæ pene instantiæ, ubi coitu delectantur Mulieres & nihil emittunt, nihilominusque postea concipiunt. Miror maxime eos qui emissionem hanc ad generationem necessariam putant, non animadvertisse Humorem illum foras ejici, & circa Clitoridem Vulvæque orificium ut plurimum effundi, raro intra Vulvam, nunquam vero intra Uterum, ut cum Maris spermate misceatur; esseque consistentia Serosum, sive Ichorosum, non autem genituræ instar lentum atque Unctuosum ut tactu facile innotescat.

Confirmanda est hæc Opinio his duobus Argumentis, imprimis quia hic Humor majori copiâ

copiâ ejicitur, quam per has *Vesiculas* suppeditari potest. Secundo, *Poris* vel *meatibus* destituuntur, quibus hic *Liquor* egrediatur.

Necesse est ergo ut subscribamus huic nuperorum sententiæ, quæ has *Vesiculas* nihil seminis continere supponit, sed quod sint *Ova* verissima, Avium vel aliarum Creaturarum analoga, & quod *Testes* (sic dictæ) non sint vere Testes, sed *Ovaria*, ubi virtute propriâ *Ova* nutriuntur.

Confirmatur etiam hoc Experimento. Accipe *Vesiculam* unam vel alteram, super ignem pone, & Bulle, & liquor contentus ejusdem coloris, saporis, consistentiæque cum *Ovorum albugine* invenietur. Notandum insuper quod *Ova* unoquoque *Ovario* contenta, numero viginti sunt vel circiter, quorum alia aliis multo minora conspicere licet.

Vasa

Vasa deferentia notatu digniora sunt *Tubæ Fallopianæ*, sic dictæ a *Fallopio* primo inventore. Suntque *Ductus* exiles, angusti, nervosi, & albidi, ex *lateribus Uteri* orientes, & instar vitis capreoli contorquentes, donec propè ad finem veniunt, ubi valde largiores statim facti, Membranaceæ, & a rubro colore etiam carnosæ videntur, extremitas cui datur *Foramen* mediocriter amplum, conscissa, & dentata invenitur, et dextrè vel secundum artem aperta, Æneæ Buccinæ orificio assimulatur.

Capacitas horum *Ductuum* valde differt, nam in initio Setam tantum admittit, sed in Progressu suo ubi ultimum amplitudinis gradum attingit, digitum auricularem excipiet, sed in illa extremitate ubi in dentes conscinditur, quadrantem tantum illius spatii occupat. *Longitudo* etiam valde incerta

certa invenitur, nam a quatuor vel quinque digitis ad octo vel novem interdum extenditur.

Usus est, in Fœcundo Coitu, auram Seminalem, vel subtiliorem *Seminis Masculini* partem ad *Testes* deferre, ut irrorentur *Ova*; quorum unum, vel forsitan plura hoc modo fœcundata, a *Testibus* decidunt, & per extremitates *Tubæ* recepta, ad internam *Uteri cavitatem* exinde prolata sunt. *Harvæus* affirmat, quod *Motum Peristalticum* intestinorum instar habent, & ideo quamvis *Testibus* vel *Ovaria* non adhærent, perpetuo tamen facilique motu ad *Ova* convertuntur; & *partes* omnes *genitales* in coitu turgidæ factæ, *Tubæ* hæ aliquo modo eriguntur, & aperto ore *Testibus* inhiantes, non tantum seminali aurâ per Ductus suos transpirantes, *Ova* impregnant, sed impregnata orificio suo etiam recipiunt,

cipiunt, & ad proprium locum, *viz.* ad *Uterum* deferunt, ut ibi ampliùs nutriantur, maturentur, & in perfectionem perducantur.

Objici forsan potest, *Tubas* has arctiores esse quam huic usui inservire liceant. Respondeamus, Quicunque arctuositatem Cervicis Uteri in Virginibus gravidisque perpendeat, & tamen se hac in occasione tanto dilatare ut Infanti ex utero egressum permittat, nullo modo mirari debeat foramina hæc adeo extendi ut *Ova* per *Tubas* recipientur, quando comparatione facta multo major disproportio in uno quam in altero invenitur.

Hactenus de *Præparantibus* tractati sumus, veniemus nunc postea ad ipsum *Uterum*, *Ovorum repositorium*, ubi ipsa Conceptio formata est, & *Fœtus* maturitatem usque ad *Partum* acquirit.

Uterus in tres partes dividitur. *Fundus*, *Os internum* vel *Cervix*, *Vagina*, & *Sinus Pudoris*.

Fundus propriè dicitur *Uterus*, nam ejus causâ cætera facta videntur. In *Hypogastrio* posita est inter *Vesicam* et *Intestinum rectum*, adeo ut inter *Urinam* & *Stercus* natus, si Originem nostram meditemur, humilitatis Argumentum exinde deducere licet. Pars ejus externa nullo modo connectitur, ut secundum *Fœtus* incrementum commodius extendi possit. Substantia ejus alba, nervosa, vel potius Membranacea est, in virginibus densa & compacta, in gravidis aliquantulum Spongiosa & Mollis.

In Virginibus duo digitos amplus, & tres longus existit, illis vero paulo major quæ virum cognoverint, aliquantulum adhuc major illis quæ infantes

fantes produxerunt. Forma ejus est *Pyro* similis, sed in *Gravidis* rotundior evadit. Cavitas ejus adeo exilis ut in *Virginibus*, Carium Ponticum, in aliis juglandem vix continebit. In cellulas ut in Brutis viviparis non dividitur, sed tantum futurâ *Scroto* similis in dextrum sinistrumque latus.

Arteriæ partim ex *Spermaticis*, partim ex *Hypogastricis* oriuntur, & utroque latere aliæ aliis inosculantur, Si etenim *Truncum* aliquem harum *arteriarum* instrumento inflas, omnes rami statim vento inflati videntur. Nec cursu directo *Uterum* peragrant, sed flexo & curvato, ut cum *Fœtus* cavitatem dilatat, facilius sine læsu partium distendi possunt. Per has Arterias *Menses* fluunt, sed præcipuè ex illis quæ *fundum Uteri* intrant, minori quantitate ex cervicem ambientibus.

Ratio Philosophica *Menstruus Fluxus* inventu valdè difficilis est. Hoc certo constat, redundantiam sanguinis non solam esse causam hujus effectus, quia tunc citius vel tardius secundum Mensuram Dietæ parciorem vel repletiorem fluant; sed è contra vidimus, experientiâ teste, si Fœmina sit sana, paucitas vel abundantia ciborum nullo modo regularem istius *Fluxus* motum impedit. Quapropter multo magis credibile est *Fermentationem Sanguinis* in causam esse principaliorem; & quando hac Fermentatione Sanguis in *Arterias Uterinas* tanta quantitate fluit, ut Circulatione communi per Venas recedere non potest, extremitatibus Arteriarum tam diu erumpit, donec quantitas diminuatur, & Fermentatio plane quiescit, quod in Spatio trium vel quatuor dierum maximâ ex parte evenit.

evenit. In gravidis rarissimè fluunt, vel quia (secundum Veterem Hypothesin) *Sanguis menstrualis* redundans Fœtui nutrimentum præbet; vel (secundum novam) quia *Chylus* vel *Succus nutritius* ab infante consumptus, quod reliquum est valde tenue & depauperatum evadit, quod in causa est cur Nutrices etiam raro habent.

Nervi ex Plexu Mesenterii maximo Paris intercostalis & ex osse sacro originem ducunt. Hysterica Passio his plexibus sita est, nam affectus in hoc morbo sunt proprie convulsivi, & sine uteri culpa sæpissimè eveniunt, & illud Symptoma quasi Pilæ ex fundo Ventris surgentis, & circa Umbilicum fortiter Pulsantis, nihil aliud est quam horum plexus motus convulsivus, quod multo magis credibile videbitur, quando etiam in viris eadem Symptomata aliquando observantur.

Cervix, sive Os internum, pars fundi videtur, propriè sic dicta, in virginibus ne plus quam pennam ampla, in gravidis autem aut planè clausa invenitur, aut materia flavescenti & viscosa adeo obinita, ut (exceptâ quadam superfætatione in Libidinosis) totum ingressum recusat. Cavitas ejus Pollicis longitudinis, os habet Tincæ assimulandum. Membranas & Vasa cum Utero habet, rugosa etiam vade, Hydatidum instar, quod madefaciendæ Vaginæ, majorique voluptati excitandæ inservit.

Vagina est Tuba mollis & laxa, parte interiore rugis orbicularibus inequalis, nervosæ & Spongiosæ substantiæ septem circa digitorum longa: Quæ tamen longitudine, & laxitate secundum ætatem vel Libidinem differt. In Viginibus, vel raro coeuntibus ruga

rugæ hæ multo majores existunt, sed in meretricibus, vel parturientibus penè obliteratæ inveniuntur. Arterias & Venas multas habet, quarum aliquæ inter se inosculantur, per has aliquando in gravidis Plethoricis Menses fluunt, nam ex ipso utero nisi Abortione sequente nullo modo possunt. Vasa hæc copiam sanguinis congressu Uenereo his partibus deferunt, & hac ratione vagina calore & tumescentiâ excitatur, quod non tantum voluptatem auget, sed impedit ne frigeat semen antequam ad proprium locum defertur. Parte superiore inter Nymphas Vesicæ urinariæ cervicem Sphincter circundatam recipit, & parte alterâ vel inferiore Sphincteri Intestini recti fortiter ligata est. Urethra circa unciam longa, crassitudinem pennæ æmulat.

Hymen

Hymen est tenuis & Nervosa Membrana, Fibris carnosis intertexta, & multis arteriolis venulisque induta, transversimque per ductum Vaginæ dispersa, Cervici vesicæ postponitur, & Foramen in medio magnitudinis digiti auricularis admittit, per quod Menses liberum exeundi cursum obtinent, Zona Castitatis vocatur, & quibus Methodo descripta Hymen invenitur, certissimum Virginitatis signum præbet. Sed primo hominis congressu violari necesse est, & affusio sanguinis maximâ ex parte sequitur, & Flos Virginitatis vulgo dicitur. Post Menses relaxatur, sed semel rupta nunquam reficitur. In aliquibus autem Foramen deest & ex consequentiâ Mensium exeundi copia, ubi hoc evenit in magnum vitæ periculum incidunt, nisi instrumentis Chirurgicis auxilium datur.

Puden-

Pudendum muliebre, Cunnus, Vulva, Fissura, & aliis nominibus secundum libitum cujuscunque nuncupatur. Ex inferiore latere ossis Pubis fere ad ipsum Anum extenditur, a Natura larga facta est, quia cutis exterior nullo modo tam facile distendi valeat quam Vagina & Collum minus. Labia habet duo, quæ versus Pubes crassiora & magis protuberantia Montem Veneris conficiunt. Interior substantia hujus montis est Pinguedo, & sub hac Sphincter ille jacet, qui constringendi orificium Vaginæ potestatem obtinet, & ab Ani Sphincter ortum ducit. Spatium inter Anum & infimam Vulvæ partem est tantum unius unciæ, sub illo ad *Fœtum* latere *lævis* valdè, sed è contra *Tuberculosa*, quibus *Utero* firmè & immediate adhæret: sed qui, vel parti anteriori vel posteriori inter *Anatomistas* contenditur.

tur. Quando etiam *Uterus Gemellis* gaudet, an Una, vel pluribus *Membranis* dividitur, acriter inter eos disputatur.

Ex *Utero* Originem deducit, & Rudimenta prima externâ superficie exterioris Membranæ primo ictu oculi specie cujusdam Lanæ visum præbent. Hæc carnosa molliſque substantia brevi sed inequaliter crescit, & circa Hebdomadem decimam secundam vel tertiam valde conspicua est. Usque ad hoc tempus *Fœtus* in *Amnios* natans, ex illo Crystallino & Albugineoso liquore ibi contento nutrimentum accipit; sed Mole aliquantulùm auctus, *Vasa Umbilicalia* gradatim crescere incipiunt & ex *Umbilico*, *Placentam* versus extenduntur, ut ex illa succum firmiorem extrahant.

Post *Placentam* *Membranæ* sequuntur, *Chorion* exterior, & *Amnios* interior, *Fœtum* involventes.

ventes. Inter hos autem (secundū Sententiam Doctoris Needam) tertia datur *Allantoides Fœtum* etiam includens.

Membrana exterior *Chorion* dicitur. Unica tantum gemellis datur, quamvis particulari *Amnios* distincte gaudent. *Ovum* in radice sua investit, & postea Humiditatem uteri imbibit, nam *Ovo* dilapso, nullique connexo, secundum modum Gallinarum crescit: de qua re vide *Harvæum de Generatione animalium*. Hæc *Membrana*, postquam *Placenta* & *Vasa Umbilicalia* formata sunt, ita densa & compacta evadit, ut amplius imbibere nequaquam capax, copiam dat crescendi ad *Allantoides*, cujus liquor indies postea in majorem Quantitatem coalescit.

Membrana secunda quæ *Amnios* dicitur, immediatè *Fœtum* continet, & nullubi *Chorioni* ligata, nisi in illa parte, ubi

Umbi-

Umbilicalia in *Placentam* intrant. Est valde tenuis, mollis, lævis, & pellucida; fætumque laxe circuit. Hæc *Membrana*, priusquam *Ovum* vitali semine impregnatur, Liquorem Lympidum continet, quæ postquam Materia est ex quâ *Embryo* formata est. In hac *vis plastica* residet, potentia agendi vivida, & quamvis ejusdem coloris consistentiæque cum *Sero Sanguinis*, Liquor hic nostris oculis apparet, toto cælo re ipsa differunt, nam si paululùm de priore in cochleari super ignem detines, nunquam sicut *Serum* coagulabit.

Membrana tertia quæ Fætum investit dicitur *Allantoides*. Hanc in *Ovo*, ante Conceptionem, existentiam habuisse, valde credibile videtur, Vestigia tamen nulla apparent donec *Vasa Umbilicalia* & *Placenta* formantur. Liquor contentus est Fætûs Urina, huc per *Urachum* deducta,

deducta, nam *Renes* separandi officio funguntur, quamprimum *Fœtus* perfectè formatus est, alioquin *Anasarcha*, vel aliâ *Hydropis* specie afficiatur. Veruntamen *Urina* per Cervicem *Vesicæ* nullo modo permeat, sed per *Urachum* fundo *Vesicæ* insertum, quæ quamvis post Partum in solidum Ligamentum induratur, attamen dum Fœtus in Utero existit, semper pervia, & Urinam ad *Allantoides* defert, quo loco totum insimul usque ad Partum collectum servatur. Notandum autem est has Membranas non tantum liquoribus sed mediocri *Aeris* quantitate repletas esse, cujus rei *Vagitus Uterini* clarissimam demonstrationem præbent.

Chorda Umbilicalis proxime sequitur, circa tres *Spithamæs* vel *Semi-Ulnam* longa, unumque digitum crassa. Membranacea est, inequalis & contor-

ta. Ex medio Abdominis ascendit, & usque ad *Placentam* ambit, sed & Sutura Perinæum vocatur.

Nymphæ sic dictæ quia proximè ad orificium *Vesicæ* stant, prohibentque ne aliquando in *Labia* illabatur *Urina*, magnitudine crescunt secundum propriam ætatem Virginum. Sed in Parturientibus vel re Venerea malcum utentibus multo ampliores quam in aliis inveniuntur.

Clitoris aliter Virga fœminina dicta, quoniam non tantum Erectione & Spirituum repletione, sed etiam *Substantia, figura,* & *Situatione* respondet. *Septum, Glandem, Musculos,* & eadem vasa cum *Pene* habet, in quibusdam autem differt. 1. *Imprimis* magnitudine, quia erecta magnitudinem digiti auricularis nullo modo superat. 2. *Clitoris Urethra,* & *Glans fœminæ* caret. 3. Unicum tantum

tum *Partem Masculorum* habet. In aliquibus pars unita in tantam longitudinem interdum excrescit, ut ex labiis *Pudendorum* prominet. Multæ etiam Mulierum historiæ dantur, quibus tam magna longaque *Clitoris* aliquando accidebat, ut coeundi cum aliis capaces fuere, & tales. *Fricatrices* vel *Hermophroditæ* vulgo dicuntur; quamvis interea utriusque sexûs participes prorsus improbabile videtur. Sed potiùs credendum quod *Testes* in *Labia* procidentes, & *Clitoris* preternaturaliter extensa, hujus differentiæ & Erroris occasionem præbet.

CONCLUSO jamdudū Discursu de *Generationis partibus*, nunc de Materiâ ipsa *Generationis* dicendum est, & imprimis *Semen Masculinum*, principium activum sive causa efficiens generationis occurrit. Sed quia illius naturam (videlicet

ex sanguine arteriali & spiritibus animalibus consistere) partim diximus, & secundum meritum subjecti compendio explicare, valde difficile vel potiùs impossibile videtur omissum de toto relinquimus.

Principium passivum est *Ovum Fœmininum* ex Semine Maris impregnato; sed quoniam Conceptionis gradus ex *Ovo* ad *Embryonem* in Utero nullo modo observare licet, necesse est, ut ex Analogia aliarum creaturarum rem ipsam ex ipso fundamento deducemus. Ad hanc rem meliùs cognoscendum, consulendus est Dr. *Harveus de Generatione Animalium*; sed quia Errores aliqui forsitan irrepsere ignorantiâ hujus de *Ovo Hypothesis* in id tempus prorsus incognitæ, videat Curiosus Lector observationes curiosissimas *Monsieur de Graef*; & diligenter pendeat experimenta quæ in Lucem edidit, utpote

non

H
Fig.2
Fig.1
Fig.3

non tantum ad probandum Hypothesin, sed etiam ipsæ veritati consonantiores. Verum enimvero circumstantiæ conceptionis Mulieribus aliisque creaturis pluribus assimilantur, differunt autem tantum tempore, vel formatione Uterorum inter se, ideoque pergam ad partes quæ *Fœtum* complectuntur, & Methodum nutriendi inquirendum.

Figura Prima.

Situationem Fœtûs in Utero representat.

A *Caput deorsum positum, adeo ut Nasus inter Crura latet.*

B B *Nates quibus calces affixi inveniantur.*

C C *Brachia.*

D *Chorda Umbilicalis Cervicem transiens, & super Frontem circumligata.*

Figura Secunda Repreſentat.

Fœtum ex Utero exceptum, ſed adhuc Placentæ ligatum ubi vaſa Umbilica ſeparantur.

A A A *Abdomen abſciſſum.*
B *Hepar Fœtus.*
C *Veſica Urinaria.*
D D *Inteſtina.*
E *Vena Umbilicalis.*
F F *Arteriæ Umbilicales.*
G *Urachus.*
H *Vaſa Umbilicalia unita, & Communi tunica inveſtita.*
I *Funiculus Umbilicalis ad Placentam extendens.*
K K K K *Venæ & Arteriæ per Placentam diſperſæ.*
L L L *Uteri Placenta.*

Figura Tertia.

Embryonem in propriâ dimenſione monſtrat.

a *Os latum cum lingua.*
b *Chorda Umbilicalis.*
c *Femora & Crura, cum Coccyge,*
d *Quaſi caudæ aſpectum præbens.*

Diſſecto

Dissecto gravidarum Utero primo se offert *Placenta Uterina*, & ob similitudinem substantiæ *Hepar Uterinum* dictum. Substantia ejus *Lieni* similis, sed quodammodo tenacior, mollis cum *Fibris* innumeris, *Vasculis* minutis, & *Parenchymate* glandulosо. Formæ variæ, variis creaturis invenitur, Mulieribus vero circularis, in extremâ tamen circumferentiâ inequalis. In medio duorum digitorum crassa, ad Marginem tenuior, & quando parturiabundus est *Fœtus*, longitudinem Spithamæ æmulat. Viam valdè dubiam & incertam incedit, nam aliquando Cervicem ad dextram ascendens, & circueundo ambiens, ad *Placentam* descendit, & è contra: quandoque verò *Cervicem* neutiquam attingit, sed paululum *Thoracem* versus inclinans, ad *Dorsum* convertitur, & exinde ad *Placentam* descendit. *Chorda* hæc viribus fortissimis induta

induta est, ut motu etiam quam maximo Infantis irrupta maneat, & ut *Secundina* etiam quasi *sine appropriato* melius extrahantur.

Vasa continet quatuor, Unicam *venam*, *Arterias* duas, & *Urachum*.

Vena binis *Arteriis* amplior est, & ex *Hepate Fœtus* originem ducit, & *Umbilico* egrediens in *Placentam* transit, cui innumeris radicibus implantatur. Usus est *succum nutritium* ex matris Arteriis in Placenta separatum Fœtui deferre. Quomodo separatio hæc imprimis facta, & deinde in sanguinem conversa videantur *Anatomicorum* libris, quo Lectorem benevolum referimus, quia hoc compendio nisi curtiori pede quam decet, nullo modo attingere possumus.

Arteriæ duæ sunt, & ex internis ramis Iliacis Arteriæ magnæ oriuntur, & *Latera Vesicæ* transeuntes ad *Umbilicum* Surgunt, ex

ex qua cum *Urachо* admirabili Textura retiformi ad *Placentam* conducuntur. Non sanguis spiritusque vitalis illis mediantibus ex ipsa Matre ad Fætum deferuntur, secundum veterem opinionem, sed è contra prædictos spiritus ex corde Infantis pulsu propulsos ad nutrimentum placentæ deferent & deinde *Sanguis* superfluus *succo* novo impregnatus, per *Venam Umbilicalem* retro circulat, ut partes necessariæ non tantum calore, spiritibusque reficiantur, sed etiam Fætui perenne detur supplementum, usque dum ad sufficientem maturitatem perducatur.

Vas Umbilicale quartum est *Urachus. Tuba* est *exilis, Membranacea,* & *rotunda, Cavitate* sed arcta valde induta, & ex fundo Vesicæ ortum ducens ad Umbilicum surgit, & exinde in *Allantoides* transit. Plus pervia in Brutis quam in hominibus, posteriores

steriores non desunt Anatomici qui totam Cavitatem denegant. Hallucinantur tamen quia in Abortionibus *Embryonis Vesica*, semper Urinâ plena invenitur, ex qua si postea nullo modo exoneretur irrupta Vesica dissiliret. Insuper autem ut sine omni contradictione confirmetur hæc veritas, accuratissimus Dr. *Needham* dicit, quod Liquor in *Allantoides* contentus, in *Vesicam* per *Urachum* premi potest, aut è contra Ventum cum Tuba ex Vesica per eandem Meatum in *Allantoides* sufflari posse.

Quatuor hæc *Vasa* communi *Tunica* vestiuntur, quæ partes, & vasa inibi contenta etiam separat, & ne in aliquo loco contingant, prohibet. *Intestinulum* & *Funiculus* vocatur. Membranacea, rotunda, & Cava, mediocriter crassa, & ex duplici Tunica constans. Interdum ipse solus, aliquando autem aliis contorquitur. *Fœtus*

Fœtus ab *Adultis* in multis differunt.

1 In *Exiguitate* omnium partium.

2 In *raledine* totius.

3 In *Ossium mollitie*, quorum multa *Cartilaginosa* & *Flexibilia* sunt.

In *Capite* diversitas maxima invenitur.

1 Caput in respectu Corporis *prægrande*, faciemque deformem habet.

2 *Ossa* Cranii molliora sunt.

3 *Os Frontis* & *Maxillæ inferioris* in partes separantur, & *Os cuneiforme* in quatuor dividitur.

4 *Os occipitis* in tria quatuor, vel quinque ossa distinguuntur.

5 *Cerebrum* mollius & magis fluidum.

6 *Dentes* latebris maxillarum occultantur.

7 *Ossa* quæ Auditûs sensui inserviunt magna & durissima inveniuntur.

In

In *Thorace*.

1 *Mamillæ* turgent & aliquando lac serosum etiam sponte fluit.

2 *Dorsi Vertebræ* processibus spinosis carent.

3 *Cor prægrande* & ejus *Auriculæ* ampliores.

4 *Glans Thymus* largior, & quasi ex tribus Glandibus constitit.

In *Abdomine*.

1 *Vasa Umbilicalia* extra Abdomen gradiuntur.

2 *Ventriculus* angustior, & cum lacte vel liquore albo modice repletus.

3 *Intestina* septies Corpori longiora vel plura.

4 *Hepar* prægrande, non solum *Hypochondriam* dextram implens, sed etiam in sinistram extendit, & superiorem partem *Ventriculi* tegit. Unicum plus quam in Adultis meatum habet. *Canalis Venosus* dictus, qui ex sinu Portæ oriens maximam

maximam illorum partem, quæ ex Umbilico proveniunt, pleno ore in Cavam projicit. Sed quamprimum Infans sit natus, & nihil amplius ex venâ prædicta veniat, Canalis hic statim concluditur, & vena ipsa in Ligamentum convertitur.

5 *Renes* etiam majores & superficie inæquales, quasi compositio *Glandularum* oculis apparent.

6 *Renes succenturiati* maxime diffusi, non tantum renibus ut in adultis contigui, sed illis incumbunt & eorum partem superiorem largo quasi sinu complectuntur.

7 *Urethra* ampla est, & *Vesica* urinâ distensa.

8 In *Femellis* uterus depressus, *Tubæ* longæ, & Testes valde diffusæ.

In *Membris* differentia consistit.

1 In *ossium* Flexilitate & Mollitie.

2 *Offícula* Carpi & Tarsi sunt tantum Cartilaginosa, & neutiquam firmiter juncta.

Verum enim quoniam *infantem* in Lucem tandem proferamus, status ejus a nobis in utero breviter considerandus est, & secundum Harvæum hoc modo situatur.

Genua ad ventrem abstracta sunt, crura reversa, Pedes transversi, Manus ad Caput allatæ, unam ad Aurem, aliam ad genam detinet: Spina dorsi circumflectitur, Caput versus Genua propendit, & Facies ad Turgum Matris incumbit. Veruntamen autem circa Partum Infantis situm mutat, & pedibus sursum inclinatis, Caput ad uteri cervicem devolvit. Tunc Uterus deorsum subsidens orificium ejus relaxatur, & Fætus excruciatus, huc & illuc seipsum movens palpitansque, Membranas quibus inclusus fuit dilacerat, adeo ut aquæ exinde fluentes

tes *Vaginam* lentiorem reddentes, faciliorem exitum *Infanti* præbent. Eodem tempore junctura *Ossis sacri*, *Pectinisque* cum *coxendice*, & *Ossium Pubis* in tanto relaxatæ sunt, ut huic effectui multum subserviunt. Horum motus Uterum perturbat, Spiritusq; animales per Nervos ad Fibras constrictorias & Musculos Abdominis dimittunt, & istius modi vires omnes unà conjungentes, *Infantem* post novem Menses vel circiter tandem expellunt.

FINIS.